Archives diocésaines de Quimper et Léon

Evêch
de
Quimp

Archives diocésaines de Quimper et Léon

EVECHÉ DE QUIMPER ET DE LÉON
ARCHIVES

Archives diocésaines de Quimper et Léon

7

Fermian Abbé de Coulure
1570 - 1638



ÉVÊCHÉ DE QUIMPER

Archives diocésaines de Quimper et Léon

A-8

95223

CONSTITVTIONES

SYNODALES

ILLVSTRISSIMI

AC REVERENDISSIMI D.

D. RENATI

DE RIEVX

Episcopi Leonensis,

PROMVLGATÆ PAVLIPOLI

in Leoniâ annis 1629. & 1630.

aux Recollets de Lesneven

BIBLIOTHEQUE DE QUIMPER ARCHIVES

PARISIIS,

Apud MICHAELEM SOLY, viâ Iacobæâ, sub signo Phœnicis.

M. DC. XXX.

Archives diocésaines de Quimper et Léon

RENATVS DE RIEVX

Episcopus Leonensis

DILECTIS *suis in Christo Leonensis Diœcesis Rectoribus, eorum Vicarijs, ac vniuersis Clericis sibi subditis salutem in Domino.* Anni *sunt pauci, cùm Diœcesim (vt scitis) penè vniuersam fructu, nostris votis si minus æquali, certè tolerabili ac non pœnitendo lustrauimus. Et vt erat eius temporis facies aspectu læta, cultu nitida, magnorum spe fructuum fœcunda,*

Archives diocésaïnes de Quïmper et Léon

inclinabat animus vt crederet speciem eius æternam fore: sed enim vanum ac inane amantis, si minus somnium, at votum fuisse, (hoc tantùm) dolore nostro non modico didicimus. Quod enim in populosâ familiâ, in magnarum substructionum æde nobili ac latâ vsu venire solet, nihil vt in eâ diu stabile, firmum nihil sit, ac perenne; his Ecclesiam, his hominum animos, his in Diœcesi nostrâ Christi sobolem patere iniurijs, cùm eam non ita pridem obiremus, vidimus & luximus. Atque vtinam, vt artificis periti docta manus in domo collapsa reparat, senio fessa sustentat, obscura ad splendorem reuocat, annis obesa restaurat, tam Deo essemus cordi, eius vt templum Diœcesis nostra, Ecclesiæ nobile membrum, eius tam beneficio quàm aliquali nostro studio decora prisca reciperet. O verè beatos, ô nunquam satis deprædicãdos sudores, quos

in vestris omnium oculis componendis iurgiis, tranquillandis animis, oleo sacro confirmandis promiscuæ plebis vbique populis bimestri penè toto exhausimus, si exitum hunc diuino munere sortiri possent, eos vt tam publica vniuersæ prouinciæ incolumitas, quàm singulorũ vbere lætoq; prouentu sequeretur salus ac dignitas. Fuit hoc quidem initio mihi propositum, cùm quæ gentis mala, familiarum dedecora, animorum vulnera visitandâ Prouinciâ tam meis quàm aliorum oculis ac auribus deprehendi, hîc in vnum veluti fascem collegi vestris subijcienda obtutibus, vt quam eorum violentiæ medicinam ab apothecâ Ecclesiæ petere placuit, pro pietate in Deum vestrâ, charitate in ægros, intrepidâ eis manu magnóque propinetis ausu. Hoc à vobis Christus postulat, hoc Ecclesia, hoc demùm pro eâ, quâ vtriusque nomine authori-

Archives diocésaines de Quimper et Léon

tate fungor in terris, vti possum ac debeo à vobis exigo. Esse quidem vbique præsens corpore nequeo, possum tamen animo. Hic vos amodò intuebitur, hic languidos, hic iacentes, hic, si culpis subditarum vobis gentium sædè conniuebitis, arguet. Hic virginem nostram ac Leonensis Diœcesis Præsidem Diuam, hic Sanctum Paulum Ecclesiæ in eâ constitutæ Parentem ac Principem, hic eius tutelares omnes Diuos obtestabitur, si illorum, si meam, si Dei messem ignauiâ vestrâ turpiter perditum iueritis, vt dignum posteritati in vobis proditi officij ac socordiæ exemplũ statuant. Sed augurari meliora præstat: nam si probè vos, si ingenium, si nunquam non bene animatum vestrum erga me sensum noui, promissa quæ fecisse vos memini, factis exaggerabitis; quam mihi coram omnibus in Parochijs quisque vestris obsequendi iustis

nostris imperijs ac decretis fidem dedistis, absenti præstabitis. Ita me Diui adiuuent, vt hoc vobis ex animo, Ecclesiæque vniuersę aueo. Valete.

Archives diocésaines de Quimper et Léon

INDEX CAPITVM.

CAP. I. De cultu Dei, fol. 1
CAP. II. De Sacrosanctis Ecclesiis, 20
CAP. III. De Sanctorum Reliquiis, 27
CAP. IV. De celebratione Missarum, 33
CAP. V. De frequentia in Diuino cultu, 43
CAP. VI. De vita & honestate Clericorum, 45
CAP. VII. De Archidiaconis, 67
CAP. VIII. De Rectoribus, 69
Catalogus peccatorum quæ Episcopo, id est, nobis sunt in Diœcesi Leonensi reseruata, 93
Recensentur casus in quibus à Clericis Leonensibus authoritate nostrâ suspensio incurritur, 96
Numerus peccatorũ quibus in hac Diœcesi adiuncta est Episcopalis excõmunicatio, 99
CAP. IX. De Concionatoribus, 100
CAP. X. De Catechismo docendo, 109
CAP. XI. De Pœnitentia, 118
CAP. XII. De adulteris publicis & concubinariis non absoluendis, 135
CAP. XIII. De Eucharistia, 137
CAP. XIV. De Ordinandis, 147
CAP. XV. De Matrimonio, 161
CAP. XVI. De Festorum celebratione, 167
Catalogus Festorum quæ in Episcopatu Leonẽsi deuotioni cuiusq; sic sunt relicta, vt absquè peccato possint non seruari, 178
Festa mobilia seruanda in Leoniâ, 180
Festa stata certoque die recurrentia ab omnibus in Diœcesi nostrâ religioso cultu seruanda, ibidem
CAP. XVII. De Clericis externis temerè non admittendis, 183
CAP XVIII. De fabricis earumque tutelariis, 185
CAP XIX. De sepulturis, 192
CAP. XX. De ieiuniis, 196
CAP. XXI. De Scholis, 198

CONSTITVTIONES SYNODALES

Illustriss. ac Reuerendiss. Domini

D. RENATI DE RIEVX

EPISCOPI LEONENSIS,

Promulgatæ annis 1629. & 1630.

CAPVT I.

DE CVLTV DEI.

AD Pastorum pertinet officium, curam habere ouium. Nos ergo, quos immerentes licet diuina manus extulit ad Episcopale fastigium, cùm cunctis sermone non possimus prodesse, certè factis cu-

Archives diocésaines de Quimper et Léon

pimus. Quare vt presbyteri, qui ruri habitant, atque adeò fideles omnes exempla pietatis erga Deum ab ijs petant, qui in Cathedrali nostra versantur, [a] quorum vita cùm prospeculo, vox pro oraculo omnibus esse debeat, ab iis documenta boni operis primùm Christo opitulante debent procedere: dilectos nobis in Christo fratres, venerabiles Ecclesiæ nostræ Canonicos quàm possumus enixè per viscera Christi hortamur, vt quæ ipsi per se diuina obire officia nequeunt, ad ea Clericos, & Presbyteros, nonnisi præstabili vitæ innocentiâ, literarum, ac cantus peritiâ commendabiles sibi in diuino cultu ministros ac socios legant, aut nobis ad animarum curam in vicariatibus instituendos offerant, ne (quod non cupimus) eorum im-

[a] *Theodulph. ad presbyteros Aurelianenses ca. 2 Conc. Arelat. sub Carolo can. 3. Toletan. 4. can. 24.*

probare iudicia cogamur, quibus vt amorem debemus, sic prospera omnia optamus; vt enim ignaros præficere Parochiis est periculosum, sic & illis offerre indignum. Deinde, quàm fœdum est ac turpe, non modò à paucis languidè, sed etiam inconcinnè, ac insuauiter hymnos, cœlestiaque oracula in cœtu vniuersalis populi pangi! Cum, authore Basilio, [a] *Rebus sacris, vnde mens erudiri potest, concinnam numerorum modulationem ideo Deus adhiberi voluerit, vt auribus mellico illo sono delibutis oraculorum cœlestium veritas placidè in animos influeret.*

[a] *Præfatione in Psalmos.*

2. Quia nostræ sunt partes videre, ne quid detrimenti religiosus Dei cultus in cantu capiat eorum absentiâ, quos officiales ac Chori suppositos vocant: Vetamus, ne cui sine graui causa abesse ab eo

Archives diocésaines de Quimper et Léon

liceat, de qua, si mora longa futura est, aut renouanda per vices plures eâdem septimanâ, Archicantoris erit cognoscere, quem monemus, ne in ea approbanda nimis se facilem præbeat, quòd de Dei cultu paucitate ministrorum in Choro psallentium nimiùm quantùm detrahi soleat.

3. Et quanquam in Cathedrali nostra nihil sit, quod in officio, deique laudibus magnoperè exigamus ad perfectam pietatis ac psalmodiæ laudem, admonendi tamen videntur ij quorum interest, ne minores horas quas vocant, & tantâ psalli celeritate, & cantorum paucitate sinant, ne istorum vitium, aliorum qui absunt certũ sit exitium.

4. Cùm autem Apostolo monente finis præcepti sit charitas, nosque iubeat charitatem in omnibus

sectari, vt omnes salui fiant, Vicarij Parochiarum, quæ sunt in vrbe, commissum sibi populum commonefaciant, sic sibi frequentanda esse cœnobia, quę sunt in ea, [a] vt Parochias sibi suas dominicis saltem ac festis diebus obeundas, in iisque sacrum Missæ officium, ac vesperas audiendas (quantum commodè licebit) meminerint, à quibus quoniam auocari plerosque fere omnes audimus, quòd quando cathedralis nostra, vrbisque Parochię ad ea seministeria comparant, cœnobia eodem quoque tempore his soleant defungi, monemus regulares omnes nostræ Diœcesis, apud quos populi cœtus fiunt, processiones, aut preces certis anni, mensium, aut hebdomadarum temporibus instituuntur, ad consequendas indulgentias suis confraternitatibus con-

[a] Concil. Turon. ann. 1582. pagi. 78.

Archives diocésaines de Quimper et Léon

a Synod. Rhotom. an. 1583. ca. de curator officijs nu. 22

b Syn. Turon. habit. an. 1582. pag. 78.

cessas,[a] ne hæc tempore solemnis sacri, aut vesperarum domi suæ fieri sinant, ne ab officio Christiani hominis fideles deferendo suas parochias abeant:[b] sanè Turonense Concilium Missam & vesperas in Ecclesiis Collegiatis & Monasteriis, non nisi post peractum parochiale officium, inchoandas esse statuit, cui quoniam (vt est necesse) deferendum esse plurimùm credimus, eius iudicium in Diœcesi nostra cunctis sanctum esse volumus, nec ex causa vlla mutandum.

5. Quia verò siue temporũ vitio, siue Parochorũ incuriâ est factũ, vt illud idem officium pauci eâ quâ par est deuotione, & veneratione celebrent, suas autem non tam ratione quàm ingenio quisque suo cæremonias inter sacrificandum sibi fin-

gat: Præcipimus omnibus, vt in Missali Romano positas obseruent gnauiter ac sedulò, sint autem in frangenda hostia maximè circumspecti, in pronuntianda Missa, legendis orationibus graues: contra hoc statutum peccantes pœnis per Canones ac Pontificum decreta indictis subiaceant.

6. Clerici autem maiores, cum insignibus quisque suis, Ordinisque notis, suam sacrificanti Presbytero diebus dominicis quâ par est religione modestiaque operam dabunt. Minores autem, vt qui ad lectoratum sunt promoti, sacerdotibus, quoties & quando erit necesse, ad altare sacrificij causâ præstò erunt.[a] De qua eorum pietate erga Deum, obsequio autem erga Presbyteros per Commissarios nostros, quando cum eo-

a Genuens. Syn. Prouin. an. 1584. Rubrica de ordinib. Conc. Tolet. l. 6. 5.

Archives diocésaines de Quimper et Léon

rum literis commendatitiis ordinandi ad nos venient, admoneri volumus, vt intelligamus ecquid altiori gradu sint digni. Sanè, qui in suo cum laude subsistere noluere, eiusque defungi munere, non videntur eiusmodi, qui tam nostris manibus quàm suis meritis subuecti porrò possint inscendere, & ad ordines maiores venire.

7. Quandoquidem præstat Deum colere, quàm turpi otio diem domi fœdare, in popinis rem familiarem absumere, videant Parochi, eorumque Vicarij, vt in Ecclesiis, quibus sunt præpositi, dominicis ac festis diebus solemnioribus [a] vespertinæ preces studiosè & attentè, vt Lateranense Concil. præcipit, horâque ad id opportunâ decantentur.

a *Syn. Rothom. an. 1583. ca. de curator. offic. n. 17.*

8. Istis vero intererunt omnes Clerici superpelliceis induti, ac si

tùm aliquò supplicandi causâ procedendum Parocho videbitur, taciti ac silentes, nisi fortè psallendum esset, cum comitabuntur in decenti habitu, hoc est, cum talari Clericorum tunica, superpelliceis, ac birretis; Ab his processionibus abesse quisquis inconsulto Parocho, nedum inuito compertus erit, eius diei ac insequentis mensis distributionibus, nostrâ ac Rectoris authoritate, careto.

9. Nec sunt vespertinæ tantùm preces curandæ nobis, [a] *tam his constat quàm matutinis Christiana religio.* [b] *Ad vesperam, media nocte, & manè semper exercendũ esse* Hieron. admonet: quam ad rem quantũ sacrosancti Missæ sacrificij diuina religio momentum habeat quia Dei beneficio nouimus, eiusdem (vt credimus) afflati numine volumus, vt

a *Hieron. ep. 22. ad Eustoch.*

b *Hier. ep. 3. ad Demetriadẽ.*

quantùm per Presbyterorum numerum commodè fieri poterit, populo audiendi ſacri nunquam deſit in Parochiis occaſio: quia ergo ſingulas Parochias noſtræ Diœceſis (tribus aut quatuor demptis) deni Sacerdotes ac viceni, & nonnullibi plures etiam inhabitant, Parochis eorumque Vicariis præcipimus, id vt laborent, primò, vt aperiente ſe die minuta plebs Miſſam ad manum habeat, in qua cum diuina ope diurni ſui laboris fœlicia ſibi quęrat auſpicia; 2. quò radices in populo pietas maiores faciat, edicimus, in id operam vt nauent, vt Sacerdotes, quibus preſunt, continuatâ ſibi ſerie vſque ad decimam litando ſuccedant. 3. Quò ſolenni intereſſe ſacro populus feſtis diebus valeat, ad illud ſignum ære campano dandum eſſe, æſta-

te horâ nonâ, hyeme decimâ.

10. Et quia non neſcimus fore de ſacerdotum numero, quibus hoc noſtrum imperium graue ſit futurum; prohibemus Rectoribus, ne fundationum partem, ſeu anniuerſariorum, ac etiam funeralium obſequiorum, iuxta cuiuſque Eccleſiæ facultates, iis Presbyteris qui illis non parebunt, à fabricę procuratoribus dari patiantur: faciendum contra ipſi ſibi Rectores ſi putauerint, à Diuino cultu voluntate iam nunc noſtrâ excluſos ſe, ſuſpenſoſque ad bimeſtre intelligant.

11. Et quia ſancta Eccleſia in area triturę dominicæ docta, [a] *quædam nouit redarguenda, diſſimulanda alia, punienda pleraque*, eius exemplo, ac moribus inſtituti, culpare ſatis non poſſumus eorum

a *Capitularia Caroli Caluiſ.*

Archives diocésaines de Quimper et Léon

fœditatem dicam, an oſcitantiam? qui munditiem in veſtibus ſacris, nitorem in altaris apparatu non ſectantur: ſtudium autem in Dei cultu nullum, aut leue adhibent, adeò vt quas ſordes inter epulas in ſuppellectili domeſtica non ferrent, has Deo in tremendo myſterio obtrudere non timeant: Mandamus Rectoribus, eorumque Vicariis, vt in id curas ſuas intendant, ne cui operari amodò ſacris liceat [a] cum ſquallidis, ac obſoletis veſtibus; maximè autem inuigilent, vt purificatoria, ac ſtrophiola tergendo calici idonea habeant, quæ ne nauſeam ac ſtomachum ſpectantibus ſorditie ſua moueant, mutanda ſeptimanis ſingulis curent.

[a] *Genuēſ. Synod. & Sipontina an. 1583.*

12. Quoniam, [b] *qui non vetat peccare cùm poteſt, iubet*, ne canonicorum inuicem erga ſe periculoſa

[b] *Seneca in Hercul. furente.*

indulgentia noſtra ſit culpa; eos hortamur vt memores conſtitutionis Pontificiæ Bonifacij Papæ Octaui Can. 1. de Clerico non reſidente, atque adeò vniuerſę Eccleſiæ in Concil. Trident. [a] quæ obuentiones ſacras, quas manuales vocant, prętentibus duntaxat tāquam operæ ſuæ ſtipendia attribuit, [b] *Abſentibus quâuis colluſione aut remiſſione exclusâ* ad earum communionem non vocatis, harum ad illos ſeueritate laudabili partem nullam peruenire ſinant, qui ex præſcripto Eccleſiæ ſtatutis diei horis officio ipſi non interfuerint, ne ſecùs agendo graui ſe ſcelere (quod non optamus) commaculent.

[a] *Seſſ. 24. c. 12. de reformatione.*

[b] *Trident: ſeſſ. 24. c. 12.*

Statuta Leon. Eccleſiæ tubrica de reſident. & priuileg. dierum.

13. Etſi neminem mater charitas reijciat, foueat omnes, ſunt tamen priuatis commodis anteponenda publica. Nos ergo, qui

Archives diocésaines de Quimper et Léon

omnes amore, & ſingulos in com
mune complectimur, pauperesqu
præ cæteris, quos ſeu ſors, ſeu natu
ra ad dolores finxit, vt eorum ſolli-
citudo ſalus noſtra eſſet; ſtatuimu
vt nulli cleric rum qui ſedem ſtabi-
lem poſuerint in parochiis, earum-
que bonis ac diſtributionibus com
munibus fruuntur, nulli (inquam) in
priuatis nobilium domibus licea
feſtis ac dominicis diebus celebrare
[a] ſine noſtra licentia aut Parochi, [a] ad
quem vt pertinet videre, ne quid vl-
li ad ſalutem, animique ſolatium
vnquam deſit, ita & curare, ne pau-
citas Presbyterorum tùm in oppido
remanentium quoſdam à ſacro-
ſancto Miſſæ ſacrificio diebus reli-
gioſis excludat. Pœna violantis hoc
mandatum noſtrũ erit ſuſpenſio in-
currenda per noſtrã aut Vicarij ſen-
tentiam, cum quo ad hunc effectum

[a] Sexta Synod. Conſt. can. 31. & de Cõſec. diſt. 1. can. Clericos.

duntaxat poteſtatem noſtrã com-
municatam eſſe volumus.

14. Quàm purum, quàm à con-
cretione terrena liberum animum
ſacerdotes habere debeant cùm res
ipſa docet, tùm multò maximè eo-
rum dignitas, humana omni maior,
cui vt eſſe vllo vnquam tempore
pares queant ſperari nequit, niſi
quàm ſunt muneris ſui, ac perſonæ
maieſtate priores laicis, tam inte-
gritate animi, vitęque ſpecie com-
mendabili antecellant cæteris, quod
tùm maximè facere debent, cùm ſa-
croſancto ſacrificio Miſſæ vacant:
nam vt eos tunc carere culpâ omni
eſt neceſſe, ita purificandæ menti
imprimis ſtudere, ſectari iuſtitiam,
fidem, ſanctitatem: ad eos enim per-
tinet hęc Dei per Prophetam co-
hortatio, *Sancti eſtote*, &c. Quare
cùm *ſanctum*, authore Chryſoſto-

Archives diocésaines de Quimper et Léon

a Homil. 5. in 1. ad Timotheum.

mo, a *non faciat solùm liberatio à peccatis, sed etiam præsentia Spiritus sancti, & bonorum operum copia*, illum autem in fugam vertat, & ista (hoc est bona opera) euagatio animi in oratione spontanea impediat, vt eius occasio omnis tollatur; prohibemus b ne prophanę vllius rei proclamationes inter Missarum solennia posthàc in pronis fiant, vti contractuum, venationum, venditionum, &c. sicut enim cogitationem aliquam de iis rebus tùm suscipere est nefas, ita etiam iisdem causam dare. Ne hi ergo, quorum imperio ad hęc vilia pręconum ministeria descendere Parochos dolemus, queri possint, se contemni & lædi, permittimus eorum apparitori, aut ministro fori (quem seruientem nominant) vt peracto sacro ante templi fores de istiusmodi negotiis populum

b Syn. Rothom. an. 1582. c. de curat. officiis.

pulum commonefaciat, Parocho autem & Vicario, vel Sacerdoti nullo modo: quos enim præesse mortalibus Deus voluit, illis legem à laicis dari, aut ad hæc abiectorum hominum officia vllius mandato præterquàm nostro demitti non modò fœdum est ac turpe, sed etiam impium.

15. Cùm frequentari Parochias, coli omnes Ecclesias, matricem ante cæteras sit necesse, quòd in ea populus res ad salutem officiumque necessarias doceatur; sit hoc verò pastoris munus proprium, id Pronis ac concionibus habendis præstare, a prohibemus singulis ne in confratriis, priuatisque nobilium Capellis pronum habere, aquam solemniter & cum cantu benedicere, salutari eius aspergine populum irrorare animum inducant: contra qui fa-

a Synod. Tholos. & Rothom. de curator. officiis

Archives diocésaines de Quimper et Léon

xit noſtrâ aut Vicarij voce à ſacris extorrem ſe fore non ambigat.

16. Quàm ſit omni tempore homini ſalutare precibus operam dare, quàm religioſum ac vtile ſacroſancto Miſſæ ſacrificio præſentem eſſe, [a] miracula genere diuerſa, multitudine infinita edocent, tùm multò maximè diuinorum donorum vis ac copia, quam in cœleſti arâ, vbi pro ſalute hominum diuino Patri Diuinus ſe Filius offert, liberali manu in bene præparatum pectus idem ipſe effundit: quorum vt fructu gaudere cuique fas eſſet, non modò Catholicis patere Eccleſiam, ſed in eam quoque Iudæis, Græcis, Barbaris, ad Miſſam vſque cathecumenorum, liberum aditum eſſe voluere Patres in Concil. Carthaginenſi 4. can. 84. Ne nos ergo de commiſ-

[a] *Auguſt. 22. de ciui. cap. 8.*

ſi nobis populi ſalute parùm videamur eſſe ſolliciti, eique præcidatur occaſio ſacri audiendi; vetamus quibuſlibet Presbyteris, ne in faciendâ re diuinâ diluculum præuertant, ne eam vnquam niſi iuſtâ de causâ à meridie incipiant, ac vt pro dignitate munus obeant, veſtibus incompoſitis ſub triduani carceris pœnâ ne vtâtur; altari autem nunquam ſe ſiſtant, conſecrandâ hoſtiâ aut vino & cereo deſtituti, niſi admiſſum nefas certo carcere, aſſibuſque decem Eccleſię fabricæ perſoluendis redimere conſtituant.

Archives diocésaines de Quimper et Léon

CAPVT II.

DE SACROSANCTIS Ecclesiis.

1. VT mundi esse debent, qui ferunt vasa Domini, quia illotis ad eum accedere manibus & mẽte non modò est turpe, sed etiã animæ exitiabile, ita arę templique supellectilem omnem sic nitere est necesse, vt ad eius aspectum Dei maiestatem, cui est sacra, religioso quodam horrore perfusus animus illicò imbibat. Quâ nos inducti causâ hortamur præpositos fabricæ, vt officij memores munditiem in diuino a cultu ament; & quia ad perfectã pietatis laudem non est satis aræ frõtalia lucere auro, argento Cruces,

a Syn. Gen. an. 1574.

fornices coloribus, si templi solum nudum sit, ac apertum, aut si lapide est instratum, inæquali tantùm, & malè ad splendorem composito; iisdem pro authoritate præcipimus, illud vt insterni, aut si iam est stratum, cùm erit commodum æquari curent, [a] parietes autem tectaque, non sine incommodo populi ventis ac aquæ pluuiæ peruia; sic reparent, vt eorum in sacrorum procuratione studiũ ventura posteritas laudet, functorum animas beata immortalitas in diuorum sanctimoniâ, gloriâ cumulandos excipiat.

a Cõc. Tull. p. 2. can. ii.

2. Et quia non est facta Ecclesia asseruandis rusticorum opibus, & supellectile familiari ac domesticâ, interest autem plurimùm nihil esse in sacris ædibus, quod earum sanctitatem non deceat, aut à pietate abhorreat; vetamus Parochis, ædituis, aut

Archives diocésaines de Quimper et Léon

templi tutelariis, ne quando in illas[a] fœnum, segetes, arcas, cęmenta aut id genus quisquilias loco non dignas inferri sinant, illatas autem vt aliò deferant earum possessoribus nostro nomine seuerè imperent mandamus, qui si obstinatè parere fortè renuant, à Parochis Ecclesiæ ingressu, Sacramentorum salubri vsu priuantor.

a Theodul. ad Presby. Aurelian. cap. 8.

3. Neque ferendum est quod in multis Ecclesiis, quę sunt ruri, fieri comperimus, vt in earum vestibulis, atriis, areis plures vnà pueri ludant, ac totos ferè dies clamoribus, iurgiis, concursationibus per templum non sine magna bonorum offensione consumant, quod cùm vbique fieri dedeceat, tùm maximè propè Cathedralem, quam præ cæteris sanctitudo decet, est indecorũ. Nos ergo, quò iis debitus honos exhiberi

queat in posterum, sic statuimus. Primò vt in pagis Parochi, in vrbe Parochiarum Vicarij ludos istos ac tumultus pueriles authoritate nostrâ & suâ comprimant; Secundò, vt finito sacro æditui templum claudant, nec antè secundam, quo tempore signum ad vesperas dari solet, aperiant, quibus absolutis vt manè illud claue obseratum ex fide muniant: sic enim fiet, quod sæpè imperauimus, vt domus Dei domus esse cesset negotiationis, publici itineris, ioci, concursationis: quid? quòd patentibus Ecclesiarum ianuis ad eas bestiis patet aditus, qui tamen clausis pręcluditur? quod ipsum solum si esset, ad decreti huiusce nostri æquitatem ostendendam sufficeret.

4. Cognouimus insuper in earundem Ecclesiarum atriis merces

Archives diocésaines de Quimper et Léon

venales exponi, frumenta segetesque siccandas expandi, ibidem mulieres feruente sole nere, rixari, colloqui; quæ quia sunt à sacrorum locorum religione aliena, prohibemus hæc ibi fieri, in quo morem singuli nobis vt gerant curabunt Parochi.

5. Quod etiam ex antiquis Conciliis & grauissimorum hominum sententiâ decreuimus, vt viri & mulieres, cùm peregrinatum eunt, more antiquo huius prouinciæ in Ecclesiis nullo inter se discrimine cum certo continentiæ periculo in iocis inanibusque colloquiis noctem insomnem ne traducant, vbique sanctè ac religiosè seruabitur. [a] Pastores itaque & præfecti oratoriorum, quæ sunt in agris aut oppidis, pernoctationes eiusmodi, ac nocturnas vigilias in Ecclesiis suis

[a] Cōc. Elibertinum can. 35.

non permittant, quò ne populus die in occasum vergente penetret, maturè fores claudi nec ante lucem aperiri imperent.

6. Fenestræ, vi ventorum labefactatæ aut dirutę, fabricæ impensis instaurentur: quòd si more gentis eas sibi vendicent nobiles aliqui vt proprias, vt pote olim à prædecessoribus nostris, à Canonicis aut populo concessas cum iure capellæ, in eâque apponendi ad perpetuã memoriam arma gentis suæ, primò quoque tempore moneantur à prę-fecto fabricæ, vt eas resarciendas curent.

7. Bis in hebdomadâ pauimentum Ecclesiæ, chori, & sacellorum verratur; eodem tempore si aliquid luti inhæserit, apto radulę genere radatur; & quia neutrum potest fieri sine puluere, adhibeb untur sco-

Archives diocésaines de Quimper et Léon

pulæ arundineæ, quò à sanctorum cælatis imaginibus excutiatur innocentiùs, vti pannus laneus ad tergendum chori subsellia, scamna genualia, gradus suppedanea.

8. Nullibi autem fœminæ secùs altare, quo sancta mysteria celebrantur, iuxta decretum Turon. 1. Conc. 2. can. 3. ad Missas stare præsumant, sed (vt ibi patres definiunt) [a] *pars illa, quæ à Cancellis versùs altare diuiditur, choris tantùm psallentium pateat Clericorum.*

[a] *Cone. Turon. 2. can. 3. Nannetēse can. 3. Paris. sub Ludouico & Loth. li. 1. can. 35. capit. lib. 7. cap. 278.*

CAPVT III.

DE SANCTORVM reliquijs.

SSA beata Martyrum, prestabiles eorū exuuiæ, immortalitate digna corpora, iustis satis affici honoribus nequeunt; templa enim inhabitantis in se Spiritus, dum viuerent, charitatis ac gratiæ extitêre sacraria, quæ cœlesti adhuc perfusa rore latè suos, id est, diuinos exhalant odores; hos autem dissipari, & debitum illis cultum tolli aut minui quis non videt, cùm profanis ac non tantùm fœdis mulierc̃larum manibus temerè in omnium oculis tractantur, aut à ludi-

Archives diocésaines de Quimper et Léon

bundis clericis, sæpè parùm ſiccis, ſemper imprudentibus, ac temerariis non modò per paſtorum mapalia, ruſticorum fumoſa tuguria, ſed (quod cogitare horret animus) per porcorum haras, obſcuraque equorum præſepia circumferuntur: quod quanquam rogati faciunt, vt eorum ſuffragantibus meritis, quorum beatos complectuntur cineres, tam ſibi quàm amicis diuina Cœlo opinione ſuâ ſubſidia deuocent, factum tamen, ſi minus irreligioſum ac imprudens, certè inſolens probare non poſſumus. [a] Quare nec fœminis ſanctorum reliquias populo oſculandas dare, nec clericis oppidatim eas amodò circumuehere fas eſto: de tota Clericorum gente teſtatę fidei vnum quempiam, à quo ſeruentur, Parochus poſthàc eligito, eas offerendi populo ad cultum & oſcu-

[a] *Con. Pariſ. ſub Ludou. & Lothar. li. 1. can. 45.*

lum huic vni duntaxat ius eſto; ſi illas è Parochia vna in aliam transferri mos erit, id non niſi clero ac populo comitantibus fieri Parochus permittito; Quando eò, vnde primùm emigrauerint, ab altera Parochia reuehentur, pari eas veneratione ac cultu clerus iuxtà ac populus vniuerſus proſequitor. Si quid Parochum, aut vtriuſque Parochiæ Clericos cõtra hanc legem, quam ad Dei, & ſanctorum gloriam pertinere credimus, peccare accidat, vt erunt à Dei amicitia alieni, ſic per nos depoſiti & à ſuorũ ordinum vſu ſuſpenſi ad annum ſunto.

2. Cùm pietatis Chriſtianæ ratio à nobis exigat, vt in reliquiarum vſu non modò ea vitia vitentur, de quibus proximè præcedenti Canone viſum eſt ſtatuere, ſed etiam in illarum cultu ea adhibeantur omnia, ſine

Archives diocésaines de Quimper et Léon

quibus ſatisfeciſſe officio videri non poſſumus, hæc tam in Cathedrali noſtrâ, quàm alibi ad religionem ſeruari in iis exponendis volumus.

Primò, vt non oſtendantur populo diebus aliis, quàm qui ſunt ſanctorum, quorum ſunt reliquiæ, natalitio ſacri, aut præcipuis redemptionis noſtræ myſteriis, vt Natiuitatis, Paſchatis, Aſcenſionis, Pentecoſtes, vel in ſolemnioribus B. Mariæ celebritatibus.

Secundò, vt antequam è loculis aut armariis, vbi ſeruantur, educantur in publicum, ſigno campanæ populus frequens conuocetur ad Eccleſiam; per quam à Clero inſtituatur proceſſio, modulantibus organis, pulſantibus campanis, pſallentibus Clericis; de quorum numero bini deligentur, qui Albis induti ac pluuialibus beata Sanctorum oſſa thurificando ſubſequantur, pueris duo-

bus cum totidem accenſis facibus aut cereis decorè eos ac honeſtè antecedentibus.

Ferentur hæ verò in Cathedrali ab Archicantore; cum aberit, à Leonenſi Archidiacono; in Parochialibus Eccleſiis à Parocho, eos honoris causâ ſubſequente populo: ferentium in eo munere habitus erit pluuiale, ſuperpellicium, & ſtola; quæ omnia ſeruare ſimiliter erit neceſſe, cùm inclinante iam die reponentur in armariis, vnde manè ſunt extractæ.

Tertiò, cauendum in reliquiarum cultu, ne nudæ à velo in conſpectu ponantur, ne tractándę populo dentur, ne quęſtus causâ, ſed pietatis duntaxat ac deuotionis excitandæ gratiâ monſtrentur.

Quartò, ne ſolæ ſint, & incuſtoditæ vllo tempore.

Archives diocésaines de Quimper et Léon

Quintò, ne præter Sacerdotem aut Diaconum unus hocvllus obeat, quem si infirma valetudo niti genibus non patietur toto tempore quo patebunt, dabit operam vt grauitate vultus, oris moderatione, ipsâque adeò totius corporis compositione cunctos ad modestiam pietatemque inflammet.

Sextò, quia imperitæ plebeculæ animis hęc peruersa insedit opinio, Deo ac B. Paulo Ecclesię nostrę Antistiti ac Patrono se gratos esse non posse, nisi campanulæ, quâ dùm viueret ad conuocandum populum vsus dicitur, osculo non tantùm dato, sed capite eidem inserto; Ecclesię nostrę venerabiles Canonicos perdilectos fratres hortamur, ne aut eam proponi populo, aut hanc ab isto superstitiosè capiti superimponi sinant.

CAP

CAPVT IV.

DE CELEBRATIONE *Missarum.*

CVM humanis, id est, nostris ac Sacerdotum manibus in sacrosancto Altaris sacrificio cõtrectari Deus non grauetur; sit autem impium se eius diuinis obtutibus contuendum dare animo necdum à peccatis libero; quàm diligentissimè elaborare nos decet, vt ad hæc augusta mysteria etiam beatis mentibus tremenda accedamus ab his parati virtutibus, quas cùm rei dignitas, tùm multò maximè eius, qui pro peccatis nostris pretium Deo Patri nostrâ se manu offert, excellens exigit au-

Archives diocésaines de Quimper et Léon

thoritas. Ozam certè, quòd esset ausus arcam titubantem prehendere ne rueret, Bethsamitas autem, quòd eam in transitu inuerecundè spectassent, certum sibi animæ corporisque exitium creasse scripturę sacræ memorant; his ex causis, quæ in rem præsentem nobis de hoc sanctissimo sacrificio opportuna sút visa, hîc ponere, quia Sacerdotes de his per nos instrui [a] Concilia iubent, non erit inutile, & primò quidem.

a *Braccar. 2. can. 1.*

1. Ad altare Sacerdos non accedat nisi prius expiato sordibus animo, si quæ fortè ei per impuri spiritus inuidiam, aut infirmitatem humanam adhęresceren t.

2. Missam non incipiat nisi instructus iis rebus, sine quibus in altari subsistere orationis causâ nefas.

3. Priusquàm è Sacristia in publicum procedat, Missam prælegat, partes eius omnes sic promptas habeat, vt celebrando nullum hęrendi errandive periculum subeat: postremò à Ministro, qui ei cum Missali quâ par est grauitate & modestiâ ad altare præïbit, intelligat nùm candelę sint accensæ, nùm parati vrceoli: sic autem sacrificio dabit operam, [a] illud vt nunquam sine teste conscio ac respondente inchoet.

a *Concil. Moguntin. can. 43. Paris. sub Ludou. & Loth. lib. 1. can. 48.*

4. Quia prouidendum est Clericis ne Laicos exemplo suo ad culpam aut Ordinis sacri contemptum trahant, sic viuent, vt de se nemini loquendi causam, [b] omnibus autem venerandi numinis, amplectendæ virtutis tribuant, nunquam autem turpibus factis suis, retardandi populi ab eo, qui diuino huic Sacramento cultus est debitus: quod vsuenire cùm constet; quoties fama

b *Conc. Arelat. sub Carol. can. 3. Telet. 4. can. 24. Theodulp. ad Presbyt. Aurel. cap. 1.*

Archives diocésaines de Quimper et Léon

est in populo Sacerdotem post fœdum aliquod facinus liberè vt antè ac sine pœnitentiâ orare, celebrare, psallere, litare; Prohibemus omnibus sub pœna suspensionis ipso facto incurrendę, vt postridie eius diei quo se nimio potu, aut cibo repleuerint, aut crimen aliquod mortale commiserint, quod tenetur omniũ ferè conscientiâ, vtpote palam & in ciuitatis oculis factum, ad altare se sacrificij causâ ne inferant. Vt enim populus Rectores suos & quoscumque Clericos eò colit ardentiùs, quò eorum est vita purior, animus virtutibus ornatior, ita eosdem despicit fortiùs, si in Clericalis militię dedecus cum offensione communi populi, istiusmodi se fœdis criminibus inquinant.

5. Et hoc curandum Presbyteris, vt quę palam sunt dicenda clarâ

& distinctâ voce, non sono infracto enuntient. Et quia vt ocyùs, ita iusto remissiùs hîc loqui est in vitio, omnia cum modo prudentiâque, ne sint molesti populo, faciant.

6. Modestiam in altari teneant; circunstantes curiosè ne inspiciant, caput indecorè quò libido erit ne moueant; oculos honestè demissos habeant, in altari chirotecas, pileum quadratum, aut breuiarium ne reponant.

7. Ritus ac cæremonias Romanas celebrando seruent; de iis semel quolibet mense in Sacristiâ conferant: de peritioribus vnum aliquem Curati deligant, qui Sacerdotem antequàm sacrificet sic plenè de illis instruat, vt nihil in gestu inconcinnum, in corporis motu vastum, in incessu ridiculum & ab-

Archives diocésaines de Quimper et Léon

sonum edat; discere nolentem à diuinis authoritate nostrâ suspendant.

8. In Missis nouis conuiuia sumptuosa neopresbyteri ne faciant; præter propinquos, & amicos domesticos, hospites non habeant; tubarũ, fistularum, cythararũ modulationes ad hilaritatem non adhibeãt; in eo qui peccauerit, ipso facto à diuinis suspensus esto: cætera item, quæ à sanctitate rei quæ agitur sunt aliena, vt ambitiosa nobilium inuitatio, musicorum instrumentorum concentus, inanes fœminarum cum viris saltationes ac tripudia sic hæc vitari à Clericis volumus, vt ea quæsiuisse aut passos esse conuinci si poterunt, à Parochis diuina mysteria exequi non sinantur.

9. Diebus Dominicis ac Festis bina sacra fient, matutinale vnum

(vt loquuntur) cui serui & ancillæ interfint, alterum horâ decimâ, cui se præsentes Clerici omnes Parochiæ sistent in habitu quisque Ordinis sui proprio, superpelliceo ac pileo quadrato. Contemptores officij, ac post trinam monitionem contumaces: Parochi, authoritate nostrâ à diuinis eorumq; vsu suspensos ministrare non sinent.

10. Nec ante auroram quemquam, aut post meridiem.

11. Quò populus ad Parochiam frequentior coeat, in eâque diebus Dominicis Missam maiore fructu audiat, aliæ in Capellarum altaribus, quo tempore solemnis cantatur, non dicantur, nisi post communionem factam.

12. Animi ad Deum in Missâ conuersio, ac ab humanis ad diuina traiectio non est modò ad fructum

Archives diocésaines de Quimper et Léon

æternæ vitæ vtilis, ſed ad culpæ fu-
gam neceſſaria ; hanc verò ſi nor
adimit, certè imminuit Miniſtrori
eodem tempore diuerſa in templo
modulantium varietas ; quæ no
cauſa impellit vt venerabiles fra-
tres noſtros perilluſtris Eccleſiæ Le
onenſis Canonicos hortemur in
Domino, ne (quod in eâ fit fre-
quenter) plura ſimul ſacrificia in di
uerſis altaribus à diuerſis cani pa-
tiantur. Sic autem pueros ſympho
niacos pietatem erga Deum, mo-
deſtiam aduerſus omnes, religio-
nem erga beatos Cœlites doceri
curent, vt nunquam ſibi niſi piè
ac deuotè modulandum ſciant: &
quia ſoli id faciunt in Miſsâ, quæ
puerorum appellatur, quotidie-
que ad ſeptimam in honorem Bea-
tæ Virginis cantu ſolenni dicitur
tractim modulentur vti decet ac

religiosè, non curſim ac tumultuo-
sè, vti eos facere auriti teſtes ſumus.

13. Nullus omninò in domi-
bus priuatis, aut Nobilium orato-
riis diebus Dominicis ac Feſtis ſine
Parochi facultate celebret. Pec-
cantem contra hanc legem loco in
Parochia mouere, ac ad menſem
à diuinis prohibere eidem ſit per-
miſſum

14. Si quis in certo altari Cathe-
dralis noſtræ, vel Eccleſiâ aliâ vrbis
celebrandi munere adſtrictus alibi
fecerit, ſi quidem ſit de chori ſup-
poſitis, Domini Cantoris arbitrio
debitâ pietati ſuæ mercede exci-
dat; ſin autem ruri degit in Paro-
chiis, Parochi judicio culpam pari
pœnâ luito.

15. Noſtræ ſunt partes intelli-
gere, an quæ ſunt fundatorum vo-
luntate Miſſæ debitæ, his tam in Ca-

Archives diocésaines de Quimper et Léon

thedrali noſtrâ quàm extra ſatis
Capellanis fiat, vt neglecti omiſſi
ue muneris culpam impunè non fe
rant; quod quia exequi non poſſu
mus reis non cognitis; noſci autem
à nobis nequeunt, niſi quid quiſqu
quantumque debeat alieno nobi
teſtimonio pateat; hortamur Eccle
ſiæ noſtræ Canonicos vt in Sacri-
ſtiâ catalogum Miſſarum habeant
temporis & loci, quo à Capellanis,
quos nominatim ibi deſignari con-
uenit, eas dici eſt neceſſe; qui ſi offi-
cio deerunt, à Domino Cantore
mulctâ quinque aſſium in ſingulas
vices plecti authoritate noſtrâ vo-
lumus.

CAPVT V.

DE FREQVENTIA in Diuino Officio.

1. VÆ diuino numine afflata Eccleſia ſanxit, hæc non niſi temerè ac peruersè humana poteſt audacia improbare: nos tamen, vt homines decet, humanitatis memores monita ſæpè quàm mandata dare malumus. Itaque cum Eccleſia in id nos omni curâ incumbere imperet, operam vt demus. [a] *Omnes vt diuina per ſe & non per ſubſtitutos officia obeant, atque in choro ad pſallendum inſtituto hymnis & canticis Dei nomen diſtinctè, reuerenter, ac deuotè laudent;*

a *Trid. Seſſ. 24. cap. 12. de reformat.*

Archives diocésaines de Quimper et Léon

Nos, ne quando officio nostro d
fuisse videamur, quotquot in Dio
cesi nostrâ præbendas habent ho
tamur, vt quantùm res temporaqu
ferent, diuinæ intereſſe rei animu
inducant; ſic enim & ſe mutuis a
pietatem exemplis accendent, &
(quod optandum eſt maximè) po
pulo ad ſimilia religionis opera cal
car addent.

2. Vt autem Parochiale offi
cium diebus Dominicis & Feſtis eâ
quâ par eſt grauitate, decentiâque
celebretur in Eccleſiis Parochiali-
bus; Nos ſacrorum Conciliorum
decretis inhærentes, maximè Tu-
ronenſ. [a] omnibus Presbyteris, Dia-
conis, Hyppodiaconis in aliquâ
Parochiâ degentibus iniungimus,
vt ſingulis horis diuini officij in
Parochiis interſint cum birretis, ſu-
perpelliceis, & veſtibus Clericorum

[a] An. 1583. Rothom. a. 1582. Agath. can. 21. Aruern. c. 14.

propriis; his deſtitutus in templum
qui veniet, aut ad pſallendum cum
reliquis animum adiiciet, ſacrarum
obuentionum iure menſe toto ca-
reto.

CAPVT VI.

DE CLERICORVM vita & honeſtate.

1. QVIA Clericos oportet iis eſſe moribus, qui aſpectu ſuo vitia terreant, dabunt operam non tantùm vt nullis impliciti criminibus hæreant, ſed vt eorũ quoque cauſas defugiant; itaque *cùm* [a] *non ſit mulierum ſocietas approbabilis, quæ collisiones habet, veluti quibuſdam fluctibus turbulentas; gluten enim eſt*

[a] Cyprian. de ſingularitate cleric.

Archives diocésaines de Quimper et Léon

delictorum, viscum toxicatum, qu diabolus aucupatur; Mandamus n quis Clericus præter matrem (quod sacri Canones [a] tolerant) sororem ac consanguineam domi suæ fœmi nam vllam habeat, nisi fortè ad mi nisteria domestica vetulam, cuius ætas suspicionem omnem mali ab eo tollat: quanquam & eius operâ abstinere, vti autem serui alicuius ne rumoris vlla ansa aut querelæ detur populo, vt Sacerdoti consul- tius est ac melius, ita quoque, quan- tùm commodè poterit, in praxim redigi in Domino cupimus; nam *cùm iubeamur* [b] *proprijs manibus labo- rare, quid opus est serpentem in domo includere, pro veste faciendâ mulierem adhibere, quæ multiformem vestem non propterea deponit vt nudetur, sed vt gratiorem se, dum remouetur, os- tendat.*

[a] *Concil. Braccar. can. 15. Lugdun. 2. ca. 1. Nicenum can. 3. Elibert. ca. 27. Carthag. 1. can 3 Cart. 3. ca. 17. Arel. 2. c. 3. Auern. ca. 15. & 16. Cabillon. c. 3. Tolet, 4. c. 41. Foroiulienſe c. 4. Zachar. in Synod. Rom. ca. 2. & 15. Arelat. 2. c. 3. Aruern. c. 15. & 16. Matiſcon. can. 1.*

[b] *Concil. Turon. 2. ſub Pelagio 1. c. 7.*

2. Quia ſatagendum eſt Clericis non modò vt per bona opera certam ſuam vocationem faciant, ſed & Laicorum, quorum ſaluti prouidere debent Chriſti Domini man- dato, [a] *Paſce oues meas; hominesque* [b] *ampliùs oculis quàm auribus credant, quòd efficacius ſit vitæ quàm linguæ teſtimonium:* [c] *habent enim opera ſuam linguam, habent ea tacente ſuam facundiam*, ſi Cypriano fides eſt; Præcipimus Clericis maiorum ordinũ, vt memores perſonæ, quam ſuſtinent in Eccleſia, eius ſpeciem tam integritate morum tueantur, quàm factorum. Tam his autem quàm Parochiarum Rectoribus prohibemus, ne priuata cum fœminis, præterquàm de re ſacrâ aut neceſſariâ, idque in Eccleſia, aut patenti conſpicuoque loco colloquia habeant: peregrinari autem ſi quando ratio

[a] *Ioan. 21.*

[b] *Seneca in epiſt.*

[c] *Cyprian. de duplici martyrio.*

Archives diocésaines de Quimper et Léon

aut pietas suadebit, ne locum iustæ vlli de se suspicioni tribuant, dabunt operam, ne id pari cum illis itinere, sed diuersis agant: [a] eâdem autem cum illis domo aut cubiculo vti ad nocturnam quietem prorsus interdictum esto.

a Concil. Turon. 2. c.20. Melden. can.36 Epaun. ca. 20,

3. Quia clericalis stolæ momentum est tale, [b] *vt de eius occursu vitia suffundantur, mores improbi erubescant*: Et sicut scriptum est in 7. Synodo [c] *à superioribus vsque temporibus omnis vir Sacerdotalis cum moderato & honesto indumento versabatur*, cuiusmodi [d] Agathense Concil. esse duntaxat censuit, quod religionem apprimè deceret, vt non nimis cultum ita nec insolitum ac deforme, sed statui proprio conueniens, *vt per decentiam* ([e] verba sunt Tridentini) *habitus extrinseci morum honestatem ostendant*; Mandamus Presbyteris, Diaco-

b Tertull de pallio.

c Can.16.

d Can.29.

e Sess. 14. cap.6. de reformat.

Diaconis, Subdiaconis, ne domi suæ aut in publico indumentis secularibus vtantur, sed tunicâ Sacerdotali talari, quam *Casulam* Patres dixere in Synodo Francica sub [a] Carolomanno Principe, [b] *Sine qua nec in ciuitate, vbi morantur, aut plateâ præsumant incedere, præterquàm si in itinere longè ambulauerint*: [c] Tonsuram autem in capite & coronâ suis ordinibus congruam habeant, vt quàm sunt seiuncti à laicis professione vitæ, tam ab iis veste ac capilli tonsione distingui possint.

4. Quia vero multi à recta ratione aberrantes contra huiusmodi professionem multa peccant, vt ebriosi, sacrilegi, blasphemi; Prohibemus singulis ne Theatra [d] frequentent, ludos publicos, aut cho-

a Anno 742.

b Synod. Rom. can. 31. sub Zacharia. Sexta Syn. Const. can. 27. Synod. Rom. sub Eugen 2. & Leon. 4. ca. 12.

c Concil. Carthag. 4. can. 44. Tolet. 4. can. 40. Aquisg. can. 1. Bituric. can. 7. Trident. sess 23. cap. 6.

d Concil. Aquisg. sub Lud. Pio can. 83. Sexta dist. 5. can.

Synod. can. 24. Concil. Laodicen. can. 54. & de Consecr. non oportt Synod. Tholosana cap. 4.

Archives diocésaines de Quimper et Léon

reas, in quibus virtus si non frangitur, certè periclitatur; popinas autè omninò eos adire nolumus, [a] nisi cùm necessitas eosdem iter ad vrbem aut locum ab eo vbi habitant milliaribus duobus dissitum habere compulerit, in iis autem diuersari, aut sedem ponere sic illis interdicimus, vt huic iustæ nostræ voluntati non parentes, iam nunc, vti tunc ipsò[b] facto à suorũ exequutione ordinum pronuntiemus esse prohibitos.

a Can. Apost. 53. Conc. Laodic. c. 54. Conc. Carthag. 3. can. 27.

b Can. Apost. 53.

5. Cùm communis fama ad nos detulerit in vicinis circa locis esse, qui incantationes, sortilegia, curiosas artes, vel ad lasciuiam & luxum prouocantes doceant, seuerè & districtè iubemus Clericis. 1. Vt iuxta Concilij Turonici [c] decretũ plebes sibi concreditas doceant his artibus dæmonem ad nostram perniciem abuti. 2. Ad salutem corporis, animique momentum habere nullum.

c Habiti sub Carolo Mag. can. 42. Synod. Tholos. an. 1582. cap. 12.

3. His & similibus nugis virtutem euerti, Deum lædi. 4. Culpam, quam in eo contrahunt, esse eiusmodi, vt de ea cognoscere ipsi nequeant. Hæc est ergo nostra voluntas, 1. Vt eius conscios absolutionis causâ ad nos remittant. 2. Vt nec ipsi nec laici philacteria, annulos, characteres, schedulas pro amuletis cum certâ precum formulâ conceptas deferant: quę quisquis ad oppugnandam fæminarum aut virginum pudicitiam tulerit, vel herbas ad eam rem cũ verbis cuiusquemodi adhibuerit aut dederit, si quidem Clericus est, is iam nunc ipso facto authoritate nostrâ suspensus esto; si verò Laicus, vt Dei hostis, vbi res innotuerit, à Parocho nomine nostro numero piorum mouetor, vt anathema à cunctis publicè priuatimque vitator.

6. Animum remittere, curas la-

Archives diocésaines de Quimper et Léon

xare est homini nonnunquam laudabile, sæpè necesse; absit ergo tam seuerè à nobis ac illiberaliter haberi Clericos, omnem iis vt ludum velimus esse prohibitum. Laicis sunt hæc concessa iure,[a] cursus, saltus, Quintiana vibratio, lucta & hyppodromus: quæ nos tamen interdicta Clericis esse voluimus.[b] 1. Quia his cum Laicis præter virtutem commune esse nihil debet. 2. Quia sunt hæc à maiestate personæ, quam in Ecclesia sustinent, aliena. 3. Quia indecora. 4. Quia periculosa; quid enim est turpiùs, quàm Clericos, quorũ vt eadem esse debet vita, sic animorum mutua inter sese consensio, imperitæ plebeculæ spectaculo esse ad iocos, risus, ludibria; &, cùm obnitentibus brachiis, moleque ipsâ exudantis corporis obluctante vires suas luctando tentant, nunc pendere in aëre, nunc cum dedecore,

a *Codice de aleator. l. 1. & 3.*

b *Concil. Carthag. 3. ca. 11. Laodic can. 54. Foroiulien-se can. 6. Aquisgr. ran. 83.*

notâque resupino corpore in frigido iacere solo? Aut quid periculo propius, quàm premi, trahi, rapi, distrahi, quòcunque colluctantis furor inclinat, eò indecorè & ferri & impelli? Quare Clericis cuiusque modi in Dei nomine mãdamus ne vllo vnquam tempore in cœtum populi luctaturi inter se, aut cum Laicis, vel iactu alterno lapidis vires probaturi corporis in publicũ prodeant: Presbyter Diaconus aut Subdiaconus, aut Lector similia facientes[a] desinant, vel separentur.

a *Can. Apostol.*

7. Et quoniam de Clericorum remissionibus cœptum est dici, quod communi famâ, quorundam autem querelâ ad nostras peruenit aures gemere satis non possumus, Sacerdotum primitias fœdari conuiuiis, inquinari ludis, maculari turpibus Presbyterorum inter se cho-

Archives diocésaines de Quimper et Léon

reis, ac insaniſſimis cum mulierculârum fæce tripudiis. Quem probroſum morem è Diœceſi, integrâque, ſi fieri poſſet, Eccleſiâ eliminare cupientes, ſtatuimus: 1. Vt quæ aliàs à ſummis Pontificibus, & à ſacris Conciliis, [a] de Clericorum, vitâ, honeſtate, cultuque retinendo, ac ſimul de luxu, Commeſſationibus, choreis ac luſibus fugiẽdis ſunt ſancita, eadem in poſterum iiſdem pœnis, vel maioribus arbitrio noſtro, vel Vicarij imponendis obſeruantur. Deinde, quod non ſemel à nobis in viſitationis curſu eſt factum, id genus hominum, vita turpe, moribus fœdum, eiuſmodi licentiâ operum infame à Diuinis, eorumque vſu iam nunc, vti tunc ipſo facto ad trimeſtre ſuſpenſum eſſe.

8. Venatores autem eo venationis genere, quę armorum ſit ſtrepitu, quales Clericos alere prouinciam noſtram dolemus, ferre non poſſumus, 1. quòd ſtatus immemores alienis ab eius ſanctitate negotiis fœdè ſe immiſceant. 2. Quòd certum ſibi animæ periculum creent; Presbyter enim venator iubetur ſuſpendi in [a] Agathenſi Concilio. 3. Quòd plebi noceant, cui ad ſimilia dedecora exemplo ſuo iter muniunt. 4. Quòd de ſe querendi iuſtam nobilibus anſam offerant. Quæ animi paciſque incommoda ne porrò ſerpát, prohibemus Clericis ne cum armis venatum eant; [b] Diaconus id ſi faxit, duobus menſibus ab officio, Presbyter tribus ſuſpenſus eſto.

9. *Venatore [c] autem Clerico nihilo eſt Mercator melior, vendentes enim, & ementes è templo eijciens Dominus*, ſi Chryſoſtomo fides eſt, *Indi-*

a *Trid. ſeſſ. 22. cap. 1. de reformat. Conc. Laodic. ca. 54. Agathen. c. 28. Syn. Gen. an. 1572 c. de Miſſa Agathen. Conc. can. 48.*

a *Can. 35.*

b *Sexta Synod. Conſt. c. 51. Turō. Con. ſub Car. magno c. 8. Agat. c. 35. Conc. Rom. ſub Eugen. 2. & Leone 4 can. 12.*

c *Chryſoſt. hom. 38. in Math. & refertur diſt. 88. ca. Eijciens 11.*

Archives diocésaines de Quimper et Léon

cauit quod mercator æterno Patri placere non potest; quo quid accidere homini grauius queat non est facilè intelligere; sanè est hoc vitę genus lucri auidum, quæstus plus æquo amans & cupidum, reciprocantium inter se curarum æstibus infame, quibus quia esse vacui debent Clerici, quò in Deum liberiore ausu animi sui impetum efferant, quod Apostoli, quod [a] Cócilia, quod Ecclesia reprehendũt in Clericis, quos in Christi militiâ implicare se negotiis secularibus est turpe, & nos quoque vti est necesse reprobantes; Vetamus ne res negotiaque turpia contrahãt, matrimonia [b] fœda exerceant, aliena prędia colenda [c] suscipiant, pro redemptoribus, (quos firmarios barbaro nomine Galli appellant) ac publicanis se gerant. Nam cui non compertum cedere id

a *Trident. sess. 22. c. 1. cõc. Turon. an. 158; Nicen. can. 18 Carthag. 3. can. 15. Chalced. t. 3.*

b *Concil. Tartac. c. 2 Carthag. 3. c. 15. Vermac. c. 63.*

c *Concil. Hyppon. c. 17. Emerit. c. 11.*

in vniuersi ordinis apertum incommodum, dedecus autem ei coniunctum esse tantum, nullâ vt expiari honestatis specie valeat? Quare quod Gelasius Papa dixit, *ab omni* [a] *cuiuslibet negotiationis ingenio Clerico cessandum esse, aut in quolibet gradu sit positus mox à Clericalibus officiis ei abstinendum esse*, vt à nobis quoque Clerici sibi nostri dictum putent: Quos enim Pontifex [b] sub interminatione anathematis ab eâ quondam fœditate remouit, eos impunes esse non placuit. Sint ergo authoritate Dei & nostrâ mercatores Clerici, aut alienorum redemptores vectigalium turpes ac sordidi à diuinarum vsu rerum, nisi maturè desinant, abiuncti.

a *Dist. 88. can. consequens.*

b *Can. 6. ne Clerici vel monachi. in decretal. lib.*

10. Quam pœnam ad eos quoque transire volumus, qui domo se nunquam in conspectum proue-

Archives diocésaines de Quimper et Léon

hunt sine armis : quæ, ob nota non nemini pericula, maximè ignem cõcipientia omnibus sacra intactaque esse volumus, vti & ea vitare munia, quæ sunt à maiestate Sacerdotij abhorrentia, cuiusmodi sunt nobilium & aliorum Laicorũ [a] procurare negotia, ex pecuniâ mutuò datâ præter sortem aliquid [b] recipere, vinum venale minutim proponere, firmas (vt loquuntur) secularium administrare, quæ Turonensis Concilij decretis inhærentes ab Ecclesiasticis quouis quæsito colore sub depositionis pœnâ factitari amodò nolumus, *Nisi fortè* (verba sunt Chalcedonensis Concil. can. 3. *qui legibus ad minorum ætatis tutelas siue curationes inexcusabiles attrahuntur, aut ipsius ciuitatis Episcopus Ecclesiasticarum rerum gubernacula commiserit, & orphanorum & viduarum quæ indefensæ*

a *Alex. 3. in Conc. Lat. c. 12. Conc. Nican. 2. c. 11. Paris. sub Lud. & Loth. li. 1. can. 28. & dist. 86 can. peruenit.*

b *Concil. Carthag. 3 can. 16*

sunt, aut earum personarum quæ Ecclesiastico indigent adminiculo.

11. Quia Parochos constat secundum à nobis dignitatis gradum tenere in Prouincia, nec à quoquã contemni, aut lædi posse, quin ad nos per eorum latera plaga perueniat, Laicis præcipimus, vt eos parentum loco habeant, ament, suspiciant, ad illos de salute suâ sæpè referant, ad consilium, cùm nesciunt quid opus sit facto, adhibeant. Clericis autem, vt ad id fidelibus reliquis exemplo præeant, iubemus vt Parochis suis honorem ac cultum deferant, eis in omnibus vti parentibus suis obediant. *Quare* [a] *quicquid pro salute animæ suæ, bono Ecclesiæ, cõmodo Parochiæ monuerint, prout melius potuerint adimplere satagant, si Dei & nostram gratiam habere voluerint. Nam nullo pacto* (verba sunt

a *Capitul. Car. magni li. 5. cap. 163 & c. 170*

Archives diocésaines de Quimper et Léon

Caroli) *intelligere possumus, qualiter nobis fideles existere possunt, qui Deo infideles & suis Sacerdotibus inobedientes apparuerint, aut qualiter nobis obedientes, nostrisque Ministris ac Legatis obtemperantes erunt, qui illis in Dei causâ, & Ecclesiarum vtilitatibus non obtemperant. Si quis* (libet enim Canonẽ hunc claudere verbis Concil.) [a] *superbiâ elatus officium suum indignatione quâcunque implere noluerit, iuxta statuta priora à communione retentus, & ab ordine depositus tandiu habeatur, quandiu sicut scriptum est pœnitentiæ suppletione defecerit.*

a *Aurel.3 c.14.*

12. Cùm Leuitis, quorum à curis seuocata mortalibus omnis in Deum, eiusque cultum intenta cerat animi acies, cùm his (inquam) lectissimis hominibus Sacerdotes Euangelici successerint, sitque tam sacrorum Conciliorum decretis,

quàm Apostoli Pauli monitis cautum, ne qui in sacram Clericorum militiam sunt asciti, negotiis se secularibus implicent; in humanis verò commerciis nihil ita mentem à diuinis in oratione complexibus auocet, ac eam opplere tumultuantis fori insanis clamoribus; Sacerdotem autem pro suis ac populi necessitatibus orare sit necesse; Clericis cuiuscumque sint dignitatis, status, & cõditionis, vti debemus ac possumus, districtissimè [a] præcipimus, ne sine graui causâ (de cuius æquitate cognoscere nostrũ erit, aut Vicarij) in foro, [b] aut extra illud negotia aliena curanda [c] suscipiãt. Hoc enim quidquid est, plenum fastidij, quod patroni dicendo, respondendo, scribendo, actuosè in iudicum rostris factitant, curari sine cura quî potest? Curis autem impedito animo

a *Cone. Foroiul can. 5 Nic. Papa I. in epist. ad Michael. Imp.*
b *Alex. 3. in Conc. Lat. can. 12.*
c *Concil. Chalc. ca. 3 & refertur causa 21. q. 3. can. 1.*

Archives diocésaines de Quimper et Léon

vbi & quando locus est, puris & ab euagatione liberis precibus? Orationi verò, vti Christianum decet, vacare Presbytero, qui ex hominibus assumptus pro illis est ad Deum, cùm non libet aut licet, dici & audiri pro dignitate Presbyter apud quem iustè potest? Quare ne hoc tam excellenti nomine Clericis nostris excidere culpâ suâ accidat, eos à prosequendis in foro non tam suo quam alieno nomine litibus, [a] aut curandis in regio prætorio, vel domi suæ propinquorum negotiis, vt factitare œconomi Aduocati, aut actores forenses solent [b] sic abesse volumus, vt *ipso iure* in id peccasse argui si poterunt, à suorum sint executione ordinum suspensi per annum.

13. Cùm iuxta Chalcedonense Concilium Clerici cuiusquemodi

a Concil. Carthag. 1. can. 6. Chalced. can. 3

b Syn. Thol. an. 1582. c. 4 nu. 10

sic sint [a] certis ascripti Ecclesiis, vt [b] eas sine Episcopi licentiâ, eâque in scriptis obtentâ deserere nequeant, *Et ad alias (nisi inuitati fuerint à Parochis Missæ celebrandæ gratia [c]) spe mercedis discurrere*; Parochi autem sic bimestri domo abesse negotiorum causâ [d] secundùm Trident. anno vno possint, vt tamen Episcopi proprij non negligatur authoritas; Clericis omnibus mandamus, ne se sine nostris [e] aut Vicarij literis commendatitiis ex Dioceſi nostra ad vicinas, aut remotas animo in iis aliquandiu commorandi efferant. Vt ergo per summam arrogantis animi contumaciam contra hæc Conciliorum ac Ecclesię salubria monita facere Sacerdoti est culpabile, ita & illam pœnarum æquitate frangere

a Aquisgr. sub Ludo. can. 44. Chalcedo. can. 20. & actione 6 can. 3. Arelat. Conc. 1. can. 2. & 22 can nos sanctorum, dist. 72.

b Antioch. Conc. 1. c. 7 & 5. Conc. Chalced. c. 12. Conc. Nican. ca. 15. & 16. can. Apost. 14. & 7.

c Concil. Turon. de anno 1583 Conc. Hispalense 2. c. 2. Laodic. can. 41. Aquisgr. c. 52 Nican. c. 15 & 16.

d Sess. 6. c. 1. & 2. de reform. & sess. 7. c. 3.

e Concil. c. 10. Laod. c. 50.

Antiochen. 1. can. 1. Chalced. c. 12. c. nullus dist. 71. Nican. c. 41. Aquisg. c. 52. Aquis. 2. sub Lud. parte 3. c. 22, Melden.

Archives diocésaines de Quimper et Léon

glorioſum nobis erit, ac laudabile. Sit inſtar omnium, à diuinis eorumque vſu toto abſentię tempore ſuſpenſum eſſe.

14. Eſt hoc quoque in prouincię noſtræ malis ponendum, à nobis cùm eam obiremus repertos eſſe, quos impotentis animi ſiue error, ſiue furor eò impulit audaciæ, vt nó ſint veriti, quod Concilia [a] improbant, Parochias quaſi ſolum poſſeſſore vacuum auſu temerario capeſſere, earum Clericis impudentiâ vere mirabili legem dare, populum tam Sacramentorum quam Verbi Dei pabulo paſcere, quo nihil eſt noſtris moribus, nihil Canonicis legibus, nihil Chriſtianæ demiſſioni magis aduerſum, cum animorum autem periculo ſic coniunctum, vt ab eo ſeiungi vix queat, cùm vſus doceat, ſic poſſe in ouina pelle lupum

[a] Conc. Arel ſub Carol. can. 4 Tolet. 4. c. 25. Vormacien. ca. 49 Syn. Rom. ſub Greg. 7 can. 2.

pum ad gubernacula Eccleſiæ vel ignarum adrepere, vnàque ſecum ad certam perniciem innocentes trahere. Cæcus enim cæco ducatum cùm præſtat, vtrique præter lapſum quid reſtat? Quare ne nos hæc pericula videamur non vidiſſe, aut nullam commiſſi nobis populi curam geſſiſſe, Clericis quàm religiosè poſſumus & ſanctè [a] prohibemus in Domino, ne ſine noſtris, aut Vicarij litteris collationis, aut inſtitutitionis, quas viſa nominant; vel ſi hæ non ſunt neceſſariæ, quia Romæ impetratæ ſunt aliæ à Pontifice beneficij collatitiæ in formâ (vt aiunt) gratioſâ, ne his nobis antè non indicatis, in quibus Beatiſſimi Papæ noſtri manum agnoſcere, colere & adorare liceat, illud inire, populum docere, Sacramentis reficere poſtmodùm ſatagant. Cùm

[a] Syn. Rot. an. 1582. ca. curat. offic. nu. 1. Gen. an. 1575. Sipont. an. 1582.

Archives diocésaines de Quimper et Léon

enim sit Episcoporum muneris suos agnoscere, eosque præcipuè, quibus in suis Diœcesibus animarum cura mandata est, æquius in hac causa istis postulatis esse quid potest? Ergo recedentis ab hac lege, quam sanctam, ac inuiolatam esse totâ Diœcesi cupimus, præter offensam Dei ac nostram, iustum sit supplicium à Diuinis suspensum esse.

CAPVT VII.

DE ARCHIDIACONIS.

1. IN id incumbent Archidiaconi super omnia, vt Sacerdotum mores, vitam, opera, studiaque plenè perspecta habeant, nosque de iis, si erunt talia, quæ nostram censuram exigant, vt est necesse instruent. Videbũt insuper an mandata faciant, an quæ de catechismo pueris inter Missarum solemnia diebus Dominicis explicando, de corporalium ac purificatoriorũ puritate ac munditiâ, de popinis non ineundis nisi in itinere, de obedientiâ Rectoribus suis exhi-

Archives diocésaines de Quimper et Léon

bendâ, de religiosâ sacrosanctæ Eucharistiæ asseruatione in argenteis ciboriis, ac tabernaculis affabrè factis, de Baptizatorum, coniugatorũ, mortuorumque seperatis libris à nobis sunt iussa, hæc exequantur omnia.

2. Eos quoque inquirere de Parochis ac incolis vtile, si quid aliquos Parochia nutriat, qui in concubinatu & adulterio, vt non sine certa suæ salutis pernicie, ita & cum aliorum graui offensione degant: quòd enim Tridentini legibus est cautum, vt qui se ab ea culpæ labe, mutuâque inter se peccandi consuetudine non auocant, aut qui matrimonio iuncti, nullo interposito Ecclesiæ iudicio, sanctissimo hoc Sacramento neglecto coniuges simul non habitant, excommunicentur: de eo hominum gene-

re, si qui fortè erunt in oppidis, moneri cupimus, vt qui sponte metu numinis non sapiunt, ad bonam frugem precibus inflexi nostris aut Ecclesiæ fulminibus redeant.

CAPVT VIII.

DE RECTORIBVS.

1. QVANTA vbique hominum ex turpi otio animarum vulnera, quãta & quàm fœda ex Clericorum ignorantiâ Dei Ecclesia dedecora vbique sit passa, res ipsa me tacente loquitur. Quare quod Imperatores ad victoriam, hoc Parochos facere ad veram laudem est necesse: ergo vt illi in pace militem sudare cogunt, laborare,

Archives diocésaines de Quimper et Léon

foffas agere, ſtruere vallum, pugnam in vmbrâ ciere, ne quando ad iuſta prælia marceſcat; Ita Clericos quiſque ſuos Parochi in oppidis ad magna arduaque formare debent. Dabunt itaque hi operam vt triduo illis in ſeptimanâ ambiguas de iure conſcientiæ quæſtiones explicent, quis in agendo dicendoque tenendus modus, quæ in Confeſſionibus iuuandi proximi, quæ cuique aptiſſima conquirendæ virtutis, quæ extirpandi vitij ſit ratio indicent.

2. In Cathedrali autem noſtrâ, vbi ex officio Theologus bis ſaltem in hebdomadâ iuxta [a] Tridentini & Turonenſis Concilij præceptum ſacrum de Theologia ad Clericos ſermonem habere debet, ei omnes tam Canonici, quàm chori (vt loquuntur) Suppoſiti, Vicariique intererunt; Theologus ſecùs ſi faxit,

Trident. ſeſſ 5. cap. 1. de reform.

fructibus beneficij ſui pro ratâ temporis, quo muneri ſuo deerit, careto; chori miniſtri, qui ab ea lectione abfuerint, parte dimidiâ obuentionis ſibi eo die debitæ Domini Cantoris authoritate priuantor.

3. Quantâ curâ incumbere in ſalutem plebis ſibi diuinitùs traditæ Parochum oporteat, Curati nomen indicat. Vt huic ergo muneri ſatisfaciat, libros quinque [b] penes ſe habeat: primum, in quem omnium, qui parochiam inhabitant, nomina quoad eius fieri poterit, referat; alterum in quo baptizati cuiuſque, parentum, ipſius compatris & commatris, vnà cum die, anno, & menſe collati Sacramenti deſcribat; tertium, in quo, cùm erit opus, eorum nomina, quibus poſt contractum matrimonium benedixit, inueniat; quartum, in quo fideliter omnes &

Synod. Genuenſ. ann. 1575. Rothom. ann. 1582. cap. de Curati officio.

Archives diocésaines de Quimper et Léon

singulos, qui statuto Ecclesiæ Eucharistico pane circa Pascha refecti erunt, recensеat; quintum, qui mortuos omnes in parochiâ enumeret, cum anno, mense, dieque, quo è vitâ egressi sepulturæ sunt traditi.

4. Vt obuiam eatur incommodis, quæ ex incœstis nuptiis passim nasci sunt solita; mandamus Parochis ne qui ex alienâ diœcesi in suam Parochiam transmigrant, viri ac fœminæ, hos in eâ, si sint ignoti, si de infamia aut concubinatu suspecti, moras trahere sinãt, nisi litteris Parochi, è cuius Parochiâ veniunt, aut aliàs fide dignorum hominum testimonio antè probauerint legitimè inter se coniunctos esse.

5. Publicos fœneratores, cõcubinarios notorios, matrimonio cõtra iustã parentũ voluntatem clam Paro-

cho & testibus, absq; denũtiationibus præuiis, sine dispensatione legitimâ, in quibus non licebat gradibus scienter copulatos, [a] coniuges item suspectos incontinentiæ, qui de mutuo consensu, Ecclesiæ iudicio non interposito, seiuncti domo, thoroque viuunt, eosque omnes, qui in Paschate sine nostrâ, Vicarij, aut suâ facultate Sacramentis Eucharistiæ, ac Pœnitentiæ abstinuerint, sacris interesse ne sinant: concubinarios tertiò officij admonitos, nisi [b] resipiscant, vt excommunicatos deuitent, ac fugiant.

a Concil. Aurel. 3. c. 7.

b Concord. in rubr. de concubinar. Concil. Rhem. c. 2.

6. Et quoniam templa, vici, itinera nunquam non inconditis multorum, qui paupertatem simulant, clamoribus perstrepunt; inuigilent Parochi ne vllos istorum similes, aut validos, morbôsve fingentes, vel aliud quidpiam comminiscen-

Archives diocésaines de Quimper et Léon

tes in fraudem verè pauperum men-
dicare in oppidis suis sinant; hos si-
ne fuco fallaciâque stipem ostiatim
corrogantes paternè excipiant; in
templum tamen, dum diuina res a-
gitur, ne admittant, ne populi ani-
mum aures que, dum orat, queris
suis oppleant, expectare tantisper
in atrio iubeant.

7. Quia nos recta ratio Conci-
liaque admonent, sic viuendum es-
se Presbyteris vt forma sint gre-
gis [a] *actuumque probitate tam male-*
dicorum obloquia effugiant, quàm te-
stimonium in se diuinum implere con-
tendant, quo Dominus ait, [b] *sic luceat*
lux vestra coram hominibus, vt vi-
deant opera vestra bona; Parochi in
eo toti erunt, vt omnium se con-
tuentium oculos animumque ad
bonarum rerum amorem studia-
que traducant: quod quia assequi

[a] Concil. Aruern. can. 6.

[b] Math. 5.

non est illis facile, cùm fœdis amo-
ribus irretiti delicias, luxum, ac fœ-
minas sectantur, eos quàm religio-
sè possumus ac enixè hortamur sic
in habitu, sic in incessu, sic in fami-
liâ amare munditiem, vt animi sui
non negligant formam ac speciem.
Mulieres autem, de quarum pudi-
citiâ suspicio est in populo; concu-
binas autem præ omnibus sic ex-
osas habeant, vt ne videre quidem,
nedum domi eas aut extra, rem cō-
merciaque cum illis turpia habere
velint: in id peccare Parochus si
præsumit, ipso facto à diuinis sus-
pensus esto, ab eo sacramentum vl-
lum, nisi cùm est necesse, Laicus ne
recipito; eius Missam, cùm alterius
est in oppido copia, ne audito: ab
Archidiacono suo monitus impu-
dentiæ modū si non ponit, vti san-
cta Concilia [a] præcepiunt; parte

[a] Concil. Latera-

in Concord. rubr. de Concub. Synod. Rothom. an. 1582.

tertiâ fructuum, obuentionum, & prouentuum beneficij sui, quæ in rem Ecclesiæ aut inopum arbitratu nostro cedat, priuatus esto.

8. Cùm autem vsus habeat Pronum diebus Dominicis è superiori loco fieri, in eo populum de rebus ad salutem officiumque instituí; sit hoc autem inter Parochorum munera non vltimum, plebem sibi cócreditam tam verbo quàm exemplo pascere, ne plures eadem parochia pastores habere videatur; seuerè inhibemus singulis, ne posthàc in Confratriis, domesticis Nobilium Capellis pronum habere, aquam benedicere, [a] circumstantem cœtum salutari eius aspergine tingere animum inducant: qua de re Laïcos à Curatis admoneri ac in prono pro excommunicatis denunciari volumus, qui contra quàm hîc iu-

a Sexta Synod. Constant. Can. 31. & refertur de consecr. dist. 1. can. Clericor.

bemus sibi in hâc caussâ licere quidquam credent.

9. Et quoniam Ecclesias ideò factas scimus, vt debitos in iis honores Principi Deo exhibere homini liceat; earum Rectoribus præcipimus, ne quem ibi omni tempore, maximè verò cùm diuina fiunt, ambulare, iocari, cœtus agere, rem, negotiaq; tractare sinant, ne quod de Iudęis dictum est olim, pessimo exemplo & more renouetur in Christianis, vt de domo orationis domum faciant negotiationis aut fori.

10. Verè doluimus & ex animo, cùm ad nos fama detulit, aquá benedictam, cuius aspersione se fideles sanctificant, venialia purgant, ab incursu & hostis insidiis se protegunt, nocturna phantasmata profligant, cùm fontes in Ecclesiarum

Archives diocésaines de Quimper et Léon

aditu posiți lauantur, à pueris aut templi ministris temerè in subiectam humum effundi; quo nihil esse potest absurdius: nam quæ Deo, eiusque religioso cultui sunt addicta, hæc in vsus cõmunes transferre, aut contemptum ire fœdum est ac turpe. Itaque Parochis eorumque Vicariis damus in mandatis, sedulò vt aduertant ne, cùm dicti fontes purgantur, quod quolibet Sabbato, cùm ad insequenti die benedicendam parantur, fieri honestum est ac vtile, aquam quæ in iis erit residua per Ecclesiam projici, ac pedibus comprimi sinant, sed in sacrarium per Ædituos ingeri faciant.

11 Quos in Parochia sua intra Paschatis octauam reperient de eorum hominum genere, quos errones, circulatores, ac vagos vulgus

appellat, de ijs scisciabuntur, an & cui peccata sua exposuerint; nùm & [a] à quo Eucharistiam receperint: ac si eos officium non feciſſe reperint, hos illicò vt fidelium eleemosynis indignos, vt de hæresi suspectos, de Porochiâ suâ, etiam, si est opus, inuocato seculari brachio migrare cogant. [a] Synod. Genu. an. 1582.

12. Cùm sancta sanctis sint tangenda manibus, indignum nobis est visum admitti à Curatis ad sacrarum rerum osculum viros iuxta ac fœminas, sæpè, vt in pagis, situ squaloreque obsitos: cui malo medicinam afferre quia volumus, impræsentiarum præcipimus, ne patenam sacrosancti Christi Corporis contactu nobilem, aut verò Reliquias in Missâ, cùm oblationes à fidelibus recipiunt, offerentium osculo præbeant. Crucem, aut verò

Archives diocésaines de Quimper et Léon

sacram imaginem, quæ pacis nomine appellatur, porrigere adorandam volentibus contenti sunto.

13. Cùm à Laico facta peccatorum confessio Sacerdoti ad hanc rem non probato, ea non diluat, remittatque: sit autem vtile populum operam suam non ludere, nec repetendæ Confessionis necessariam sibi legem imponere, ne iuris ignorantiâ eò se aliquando redactum queri valeat, vt ad absoluendum ineptum pro idoneo aptoque deligat: cura hæc sit Parochi de suggestu clarè distinctèq; appellare Presbyteros singulos ad hoc tam salutare munus à nobis delectos, aut [a] in tabellâ, quæ ad Sacristiæ limen poni poterit, annotatos describere.

[a] Synod. Tholos. cap. de confess.

14. Cùm oporteat Parochos iuxta Apostolum attendere sibi, & vni-

uniuerso gregi, in quo Spiritus sanctus posuit eos regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo; nec id facere eos posse constet, si populum sibi cómissum mercenariorum more deserant; reperiantur autem in Diœcesi nonnulli, qui suæ à Parochiis absentiæ contra decreta Tridentini [a] Concilij prætendant defectum domus Presbyteralis, in quâ inhabitent: Nos quia has voces querelasque vtcumque probabiles ac iustas credimus, statuimus vt primo quoque tempore Parochi domos sibi iuxta Ecclesiam, idque fabricæ aut Parochorum sumptibus exędificari curent: eò templorum redditus, populique Eleemosynas traduci Parochiani si obsistant, repugnantibus forti ausu litem intendant: nos, reluctantes iustis Ecclesiæ censuris

[a] Trid. Conc. sess. 6. c. 1. & 2. & sess. 23. cap. 1.

Archives diocésaines de Quimper et Léon

vt plectamus, admoneant.

15. Quoniam comperimus Parochias Rectoribus suis vacuas magna in diuino cultu detrimenta pati, tam Turonensis [a] sacræ Synodi, quàm Tridentinæ salutaribus decretis inhærendo Rectoribus seu Parochis mandamus, vt intra duos menses à die suarum prouisionum computandos ad illas se transferant, ibique facturi quæ sunt officij (vt docere populum, Sacramenta conferre, errantes in viam reducere) resideant. Quam residentiam si per duos menses absque nostrâ licentiâ in scriptis approbandâ deseruerint, *pro ratâ temporis absentiæ*, iuxta statutum [b] Concilij Tridentini, *Parochiæ suæ fructibus priuentur*: quos domorum Presbyteralium & Ecclesiarũ Parochialium reparationibus applicari volumus, aut verè

a *Trid. sess. 23. c. 1. Turon. Syn. an. 1582.*

b *Trid. sess. 6. c. 1. de reform sess. 23. cap. 1.*

pauperibus, vti sanxit Tridentinũ [a]. Quod si vltra bimestre abesse sine nostra facultate pergant, sciant se censuris Pontificum [b] decreto plectendos.

a *Sess. 23. c. 1. de reform. sess. 7. cap. 1.*

b *Can. Clericos 17. de clericis non residentes.*

16. Et quia multorum fide didicimus plerisque in Parochiis prauam illam inualuisse consuetudinem, vt in processionibus, quas seculorum pietas propitiando Numini adinuenit, tumultibus omnia misceantur, rixis ac ebrietatibus vicina circùm rura infremant; Templi autem, quò precandi causâ proceditur, atrium ludis, choreis, ac fistulis personet; Ecclesiarum Parochialium Rectores hortamur in Domino. 1. Vt omnes officij sui commonefaciant. 2. Ne cum puellis ac recèns nuptis fœminis adolescentes Clericos, quorum ætas libidini patet, procedere sinant. 3. Vt

Archives diocésaines de Quimper et Léon

omnes doceant sic à Templo sua Parochiæ sibi progrediendum esse ad aliud, vt precibus, & non inani loquentiâ tempus terant. 4. Vt quantùm in eis erit ludos ab iis omnes arceant, choreas autem ac fistulatores sic à sacris remoueant, [a] vt eorum ne vmbra quidem ac nomen in iis audiatur ac pareat. Quòd si fortè (quod nollemus) esset in cœtu populi, qui tùm contra hoc statutum nostrum choreas à se in fœminarum turbâ frequentandas temerario ausu crederet, hic ipso facto vt impius, vt contumax ac rebellis, si est Clericus, sacris ac officio; si Laicus, Sacramentorum vsu interdictus esto.

a *Synod. Rothom. an.* 1582. *ca. de parroch. offic. n.* 24. *Aurel. Conc.* 2 *c.* 12.

17. Rectoribus item, Vicariis, ac cuiusquemodi Presbyteris authoritate suâ fas esse nolumus pro quolibet cuiuslibet conditionis ac gra-

dus Eleemosynas colligere, frumentum mendicatò petere, pecunias in Templis corradere, aut quærendi inconsultis nobis, aut Vicario, vlli potestatem facere: quas enim gentilitia charitas, prudentiaque popularibus prę cęteris addicunt, has alienigenis, has indignis, ac tantùm non improbis dari est nefas.

18. Conuentus autẽ omnes scelere turpes, libidine infestos in Parochiis quisque suis vetanto; nocturnos cœtus, ad quos viri iuxta fœminæque nullo discrimine confluunt, damnanto; quòd in iis, si minus societatem culpæ inter se coeunt, certè in aperta eius committendæ pericula incidunt, seuerè prohibento; domum quisquis aut locum iis habendis gratis aut pretio accommodauerit, à sacris authoritate Dei & nostrâ excluſus esto; qui contra

Archives diocésaines de Quimper et Léon

hoc præscriptum eos sibi quoque frequentandos duxerit, par illum pœna ligatum teneto, absolutionis causâ ad nostrum se tribunal sistito, de eius culpa nemo præter nos aut à nobis comissos cognoscito.

19. Lyncei sumus, quæ præterlapsa sunt sensus neminisse vix possumus. Sit hęc ergo Parochi cautio, vt nostrarum legum in suo populique pectore stabilis æternaque vigeat floreatque memoria. Haberi hæc verò cùm nequeat, nisi sciantur; sciri, nisi audiantur; audire autem sit inutile nisi explicentur; Rectores, eorumque Vicarij, earum exemplar vnum, de quo quid agi omittiue quolibet tempore possit ac debeat ambo intelligant, habento; quæ Laicorum erunt propriæ, aut istorum cum Clericis communes primis

Synod. Tholos. prouincia. a.1582.ca. de Vicarijs.

singulorum mensium Dominicis è prono in Missis maioribus legunto; quæ Clericos solos spectant, hæ seorsim proximè insequenti die à Rectore iisdem in sacrario, aut secreto loco exponuntor; si officio defuerint, ad earum custodiā quàm acri oratione poterit adducuntor, duri ac inobsequentes obuentionū menstruarum priuatione plectuntor.

20. Quia fœdato culpis animo ad altare sacrificandi causâ accedere sacrilegium est graue, ideoque iubet Apostolus priùs pœnitentiæ, [a] quàm sacra Eucharistię limina terere; quod omnes facere cùm sit necesse, Sacerdotes tamen ante reliquos, quorum vt est in Dei Ecclesia dignitas illustrior, ita debet esse vita ad exemplum purior, mens ad Dei gloriam virtutibus exaggera-

[a] *Concil. Trid. sess. 13. ca. 7. & can. 11.*

Archives diocésaines de Quimper et Léon

tior : & tamen, proh dolor! quorundam de Diœceſi noſtra tam raræ dicuntur eſſe ac infrequentes ſuorum ſcelerum exomologeſes, vt quod in Laico vix eſt laudabile, ſit in Presbyteris modò Parochorum incuriâ tolerabile, quibus ſemel tantùm aut bis ad ſummum cófiteri quotannis eſt ſolenne ; quod etſi communiter in his reprehendere non audemus , quos morbus aut Dei metus à ſacris altaribus remouet , in iis certè, quos Deo plenos beatarũ mentium agmina quotidie in altari ſuſpiciunt , probare non poſſumus ; vt enim culpâ omni vacent, quod in hac infirmitate animi, quæ cuique inſita eſt homini, operumque licentiâ , quam vbique agnoſcimus, optandũ magis quàm ſperandum ; ſingularem tamen eorum ignauiam, ac ſummam diuini

in ſe cultus promouendi inertiam quis ferat? Nos ergo, quibus aliena ſalus commodaque vti noſtra chara eſſe debent, diuinæ autem laudis inſidere cupido tanta, quanta perſonæ, quam Dei beneficio ſuſtinemus in Eccleſia, excellens authoritas exigit ; ſingulos hortamur in Domino, vt manantes è ſuffoſſo Chriſti latere diuinos cœli latices in Euchariſtiâ impuro ore nunquam hauriant; Sacerdotem , ſi fieri poteſt , confeſſionis causâ quotidie adeant ; quo puriores erunt, hoc ſe vberiores è cœlo opes ſuſcepturos pro conſtanti habeant : Et ſi conſcientiam vindex non mordet animus, bis tamen ſeptimanis ſingulis purgandã ſciant ; luteam ac ſordidam quàm nitentem virtutibus gerere quiſquis maluerit, ſacris hũc altaribus Parochus authoritate noſtrâ moueto. Rariùs

Archives diocésaines de Quimper et Léon

quàm semel in hebdomadâ peccata sua Sacerdoti qui explicat, ecquid dignus sit qui sacrificet videto; de eius incredibili negligentiâ in sacrorum vsu, suique mirabili incuriâ, cùm se dabit opportunitas, vt digna factis referat, nos moneto; huic cum summa impietate coniunctæ audaciæ Parochus si conniuebit, suspensus esto.

21. Cùm certis testimonijs didicerimus Christi fideles è Parochia vna in aliam Confessionum causâ temerè migrare; esse autem inter Sacerdotes qui cùm Gallicè nesciant, Gallicè tamen confitentibus aurem accommodant; Vetamus primò ne de peccatis cognituri tanquam arbitri honorarij sedeant, nisi ea de pœnitentibus intelligere ipsi valeãt; his autem ne alios quàm linguæ suæ peritos & scientes sibi

Confessarios eligant. Exigit enim ratio iudicij, cui cum potestate Christi nomine Sacerdos præsidet, vt reorum crimina plenè perspecta cognitaque habeat; In Gallicæ verò linguæ nescientiâ id fieri quî potest? Alium ergo purgandæ conscientiæ ascisere sibi adiutorem in sacro tribunali Pœnitentiæ, quàm qui eum probè intelligere valeat, pœnitenti interdictum esto. Deinde vt Parochianis omnis ad vicinas Ecclesias discurrendi tollatur occasio, tam Parochus quàm subditi ei Sacerdotes[a] alios quàm è Parochia oriundos absoluendi iure omni carento; facientis cótra quàm sancimus vnica pœna sed iusta esto, Dei indignatio, ac trimestris à diuinis officioque suspensio.

[a] Synod. Hyber. sub Car. 3.

22. Et quoniam de Confessionibus cœptum est dici, nemo eas

Archives diocésaines de Quimper et Léon

nisi togatus & cum pileo quadrato audito : inter se & pœnitentem, quantùm ratio loci feret, medias crates habeto : faciem suam puellarum maximè ac mulierum ori non admoueto ; de peccatis quæ nostri sunt fori, ac proinde quorum cognitio est illi prohibita, quia nobis reseruata, nunquam absoluito : ae ne eorum ignorantiâ peccare quidpiam accidat, illa memoriâ teneto. Si propter infirmitatem animi, aut virium id assequi non erit facile, ea saltem ordine, vti sunt hîc posita, descripta penes se habeto; ne memoriâ excidant, quater in anno legito.

CATALOGVS PECCATORUM quæ Episcopo, id est, nobis sunt in Diæcesi Leonensi reseruata.

1. BLASPHEMIA in Deum, vel in sanctos deliberatè prolata.

2. Sortilegium, id est, rerum quæ naturæ vi sciri nequeunt indagatio per sortes; profiteri, vel exercere maleficia, veneficia, incantationes, cęteraſque artes Magicas, & Ariolos Consulere.

3. Profanatio, & impius abusus rerum sacrarum, vt sacrosanctæ Eucharistiæ, Chrismatis, olei sancti, &c.

4. Incendium domorum, frugum, aut aliarum rerum ex propo-

Archives diocésaines de Quimper et Léon

sito factum, & consilium vel auxilium ad id prestitum.

4. Effractio, & spoliatio ædium sacrarum, & piorum locorum.

5. Clerici in sacris constituti vel religiosi leuis percussio.

6. Homicidium voluntarium.

7. Monomachia, id est, eorum conflictus qui singulari certamine inter se dimicant, eorum hortatores, authores, aut qui eis consilium, auxilium ad id præbent, aut presentiâ suâ ad id animant.

8. Coniugi mortem machinari.

9. Procuratio abortus, hoc est, siue animati siue inanimati fœtus eiectio.

10. Oppressio paruulorum per incuriam, eorundemque expositio.

11. Fornicatio in Ecclesiâ, vel

alio loco sacro.

12. Fornicatio cum personâ quâ de sacro fonte quis suscepit, vel cuius Confessionem sacramentalem communiter excipit.

13. Concubinatus publicus.

14. Adulterium quod vel in iudicio probatum est, vel nullâ tergiuersatione in totâ viciniâ celari potest.

15. Raptus virginum, vel mulierum honestè viuentium.

16. Incestus intra 4. gradum consanguinitatis vel affinitatis.

17. Peccatum Sodomiticum.

18. Bestialitas.

19 Vsura publica.

20. Patris vel matris percussio.

21. Atrox, & violenta sanguinis effusio in Ecclesiâ.

22. Furtum rei sacræ in quouis

Archives diocésaines de Quimper et Léon

loco, vel profanæ in sacro.

23. Productio falsi instrumenti.

24. Falsum testimonium coram iudice.

25. Adulterare litteras Ecclesiasticas.

26. Adulterare monetam aut sigillum Regium.

27. Deliberatum & solemne periurium.

28. Noctualia publica, domorum ad illa locatio.

RECENSENTVR CASVS, in quibus à Clericis Leonensibus authoritate nostrâ suspensio incurritur.

1. CVM tibicines, fistulatores, ac Cytharœdos per se aut alios ad celebritates annuas Eccle-

Ecclesiæ, vti dedicationis aut alicuius indulgentiæ publicæ adhibent.

2. Cùm Neopresbyteri cœtum habent ac Conuentum populi die quo primitias suas Deo offerunt.

3. Cùm ad ciendam in populo lætitiam eodem die tam antè quàm post prandium Cytharœdos in publicum producunt, ad quorum sonos musicos plebs insana tripudiet.

4. Cùm alienigenas, hominum genus in prouinciâ incognitum, societatem matrimonij coire Parochi sinunt cum populari suâ, aut etiam ignotâ, antequàm Iudicis loci vbi sunt nati; Parochi aut Vicarij testimonialibus litteris sibi constet Catholicos esse, non spurios aut nothos, non coniugij fœdere alibi conjunctos.

Archives diocésaines de Quimper et Léon

5. Cùm Presbyteri extra Parochiam pro qua sunt approbati, aut in eâ aliarum Parochiarum incolas sine facultate absoluunt.

6. Cùm in priuatis sacellis nobilium pronum faciunt, populum aspergunt, aquam solemni ritu Ecclesiæ benedicunt.

7. Cùm temerè fœminas ad peregrinandũ sibi adiungunt, eâdem domo, aut cubiculo vtuntur ad quietem.

8. Cùm in popinis habitant, eas potus causâ in oppidi sui domiciliis, aut vicinis frequentant.

9. Cùm ad expugnandam virginum pudicitiam philtris vtuntur, characteribus aut herbis.

10. Cùm in publico cœtu populi inter se aut cum Laicis luctantur.

NVMERVS PECCATORVM
quibus in hac Diœcesi adiuncta est Episcopalis excommunicatio.

1. FRequentare cœtus nocturnos quos noctualia nominant, Gallicè *des nuictées.*

2. Ad eos celebrandos domos cõmodare aut locare cum pertinacia, quæ trinâ prohibitionis nostræ denuntiationem factam à Parocho, aut alio Clerico nostro, aut eius nomine, habeat.

3. Grauis Clerici, aut Religiosi percussio quę nulla tergiuersatione excusari potest.

4. Concubinatus post trinam nostram, aut Parochi monitionem.

5. In publicis solemnitatibus, aut Clericorum primitiis dare populo tibicines.

Archives diocésaines de Quimper et Léon

6. Falsificare literas Apostolicas tam beneficij, quàm Indulgentiarum collatitias.

CAPVT IX.

DE CONCIONATORIBVS.

1. VM ad Episcopum pertineat dare operam, vt per se aut substitutas operas verbum Dei de superiori loco explicetur populo, maximaque ab eo sit adhibenda cautio, ne promiscuè id fiat à quolibet, & temerè; quòd ad hanc excellentem Prouinciam magnis & illustribus ingenij, virtutum, ac naturæ dotibus instructum esse oporteat, quibus cùm Patrum nostrorum memoriâ destituti essent

qui dicebant ad populum, Ecclesia vt multis locis lumina sua, decoraque perdidit, ita his est obscurata tenebris, vt diuinæ humanæque sapientiæ radiis dissipari modò non nisi ægrè possint: Statuimus, ne imposterum secularis vllus Clericus tam sanctum & salutare erudiendi populi ministerium obeat, nisi nostro antè, aut Vicarij vel deputandi à nobis examine sit probatus, quique sui ad concionandum mandati literis manu nostrâ vel Vicarij nostri aut Secretarij signo firmatis fidem faciat.

2. Quàm ex continuis bimestris operæ suæ laboribus per Quadragesimam in subigendo Ecclesiæ agro infrequentes ac raros manipulos in horreum Dominicum Ecclesiastæ sacri inferant, Prouinciam nostram lustrando, vidimus, & ex animo pro

Archives diocésaines de Quimper et Léon

paterna noſtra charitate in omnes ingemuimus. Nam quid accidere homini noſtri quàm ſimillimo grauius poteſt, quàm quamcunque in partem conuertas oculos videre dominantem caliginem, triumphantem inſcitiam: mala hæc ſunt minutæ plebis, quæ quoniam earum rerum eſt, quæ ad fidem officiumque Chriſtiani ſpectant, magnam partem ignara, virtutis expers, fœta plenaque vitijs viuit: cuius nos mali hanc vnicam propè cauſam, infauſta iſta noſtra ſecula cum beatis atque fœlicibus Apoſtolorum temporibus comparando, reperimus, quòd quam illi quærebant ſtyli tenuitatem, orationis innocentiam, hanc ſuperbè, etiam in pagis obſcuriſque Parochijs (quod miramur) concionatores reſpuant, in dicendo ſectentur pompam, ament vmbram,

maſculam oderint eloquentiam: Quod quàm ſit ab Apoſtolorum dicendi genere alienum, norunt qui Pauli ad Corinthios acceſſum meminerunt non fuiſſe[a] *in ſublimitate ſermonis, non in humanæ ſapientiæ verbis, ſed in virtute Dei*; & ſatiè[b] *in iudicijs, in concione pro roſtris, opulentia facundiæ volubili ambitione iactare ſe poteſt; cùm de Domino Deo vox eſt, vocis pura ſynceritas non eloquentiæ viribus niti debet ad fidei argumenta, ſed rebus.* Quare quos ad diuini verbi ſementem faciendam, noſtri operis coadiuuas in agro huius noſtræ Prouinciæ diuina nobis bonitas poſthàc dabit, monemus in Chriſto, his ſibi eum conditionibus colendum eſſe, vt in Ruſticanis Parochijs crucem ſolam, myſteriaque fidei explicent, præterea nihil; vno verbo, Cate-

[a] 1. Corint. 2.

[b] Cyprian. ep. 2. lib. 1.

Archives diocésaines de Quimper et Léon

chismum doceant, pueros erudiant, adolescentiam instituant, vitia eliminent: hęc eorum concionibus per Quadragesimam integram materia subiecta esto. Qui ea styli grauitate, quâ cæteri in vrbibus tonant, qui quâ orationis dulcedine sese auditorum insinuant auribus, quâ rerum supellectile genere ipso multiplici animorum habent assensus, hâc in Rusticanis Parochijs vti præsumpserit, hic authoritate nostrâ cathedrâ à loci Parocho excluditor; hæc à Vicario nostro Ecclesiastæ alteri, cuius opera vt Deo gratior, ita plebi fructuosior est futura, concedítor.

3. Quòd in hac temporum luce, fidei autem Christianæ fulgenti sole humana pectora radiare sit necesse, tenebris autem earumque rerum insciticæ, quibus dignitas ac sa-

lus continetur hominis, locum adhuc in terris vllum esse sit turpe; reperiantur autem (quod dolere satis non possumus) in Parochiis plurimi, qui tam suâ quàm parentum incuriâ, cum viri necdùm essent, fidei nostræ diuina non didicere mysteria: Volumus pro concione à Parochis orationem Dominicam, salutationem Angelicam, Symbolum fidei, decalogum cum Ecclesiæ præceptis in pronis primę, ac maioris Missæ Parochialis clarâ ac distinctâ voce, vt ea discere & audire quisque possit, efferri. Huic imperio quisquis nostro obsequi per animi contumaciam, aut negligentiam abnuet, pars ei in amore nostro amodò nulla esto.

4. Quia[a] *qui otiosâ ac inerti quiete perfruitur pecudum more viuit;* [b] *otium enim oblimat ingenium* [c] *vir-*

a *Prosper de Vita contemplatiua li. 2. cap. 16.*
b *Symach. lib. 1. Epist. 59.*
c *Ignatius epist. 4. ad Tarsenses.*

Archives diocésaines de Quimper et Léon

tutes enecat, vitia corroborat; qui-
bus cùm est corruptus animus, quid
diuinum sapere, quid altum po-
test? Vt hic ergo bonorum copia
exaggeratus efflorescat ad gloriam,
vitia autem eorum luce perterrefa-
a An. 1582. cta captent fugam; quod [a] Concil.
Turonense imperat, quod Leo de-
cimus exoptat, quod Franciscus
eius nominis primus in concorda-
tis fieri totâ Galliâ ad suam im-
mortalem laudem, Ecclesiæ decus
ac splendorem desiderat, manda-
mus Theologali vt prouinciæ suæ
non immemor eam primo quoque
tempore obeat; quod Lateranense
b Sess. 5. cap. 1. Trid.[b] ac Turonense Concilia ab eo
exigunt, ad sacras cóciones lectio-
nes de scriptura binas singulis se-
ptimanis adijciat, quibus Vicarij,
Capellani, Cantores, ac cæteri vr-
bis Presbyteri minores interfint.

Quòd si vnam quâlibet hebdoma-
dâ saltem non habuerit, [a] *Ad ar-*
a Concil. Turon. an. 1582. *bitrium* (verba sunt Concil.) *Capi-*
tuli per substractionem distributionum
puniri possit; & si residentiam de-
seruerit, de præbenda eius alteri pro-
uideri.

5. Cùm non absre, sed honestâ
ex causâ sit introductum, pronum
diebus religiosis ac Dominicis ma-
nè, concionem autem vesperi de
sacra exedra ad populum haberi,
hunc in eâ de officio Christiani ho-
minis instituí; hoc autem præstare
sit inter Parochorum ac Curati mu-
nera non vltimum: ne plures eidem
Parochiæ vno eodemque tempore
præpositi videantur; seuerè inhibe-
mus Presbyteris, ne vnquam ca-
thedram inscendere, verba publi-
cè facere, tenere cœtum, pronum
habere, Parocho aut eius Vicario

Archives diocésaines de Quimper et Léon

antè non consultis nedùm repu
gnantibus audeant, valde enim
dictu fœdum est, factu asperum, v
quas Presbyteri aut eorum propin
qui domi suę simultates exercent,
has cum aliis concionãdo foueant,
& quam qualicumque dolori suo
causam obtendunt, hanc populo
temerè ac imprudenter obtrudant,
verbis sæpè maiorem faciant, ad ri-
xas, iurgia, vindictam plebi impe-
ritæ viam exemplo suo sternant:
hoc tamen Presbyteros aliquos in
Diœcesi fecisse & etiamnùm face-
re magno nostro dolore didicimus,
qui in pronis ideo dicere ambiunt,
vt stomachum, quem exæstuantis
animi furor accendit, hunc in ho-
stes omnem effundant. His ergo &
eorum similibus æternum in publi-
co silentium esto: Perorare in Eccle-
siâ, aut pronum facere in Missâ

quibus per Parochum aut eius Vi-
carium licebit, his quemquam in
publico reprehendere, aut de ne-
gotiis suis ac amicorum rixis dicere
nefas esto; peruicaces ac huic de-
creto non parentes pro pœna di-
stributionum iure bimestri toto ca-
rento.

CAPVT X.

DE CATECHISMO docendo à Curatis.

1. MALO nostro didici-
mus ex diuinarũ re-
rum ignorantiâ mala
cuiusquemodi, in do-
mini autẽ agro infœlici partu vitio-
rum omnium zizania nasci. Ne
hæc ergo populus noster in suam

aliquando perniciem grassari Pastorum suorum incuriâ gemat, dabunt hi operam, vt in sui gregis procurandâ salute peruigiles sint & serij, memores ab ipso viuorum & mortuorum iudice se curæ animarum eâ lege præpositos, vt omni quâ possunt ope virtutibus cælo dignis eas ornent. Idipsum efficiendi erit hæc ratio, si (quod [a] Tridentina Synodus exoptat) concreditam sibi plebem per se ipsi alant Euangelij pabulo salutari. Itaque quoniam per se vox Pastoris magnos ac planè incredibiles in ouiũ pectoribus motus efficit, sacris hortationibus, concionibusque habendis diebus Dominicis, ac præcipuis anni festiuitatibus populum de salute commonefacient, ad magna arduaque acuent, à vitiis abstractos ad Dei cœlique amorem verbis suis vti facibus accendent.

[a] *Sess 23. cap 1. de reform.*

2. Quòd si qui huic impares muneri, aut legitimè impediti illud per se obire nequiuerint, vicariâ aliorũ operam ad id adhibeant, quorũ ipsi vitam, mores, ac doctrinam spectatam habeant.

3. Et quia metuendum est Parochis, ne, si aliquando officium negligant, vocem hanc ruboris & terroris plenam audiant. [a] *Paruuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis*, panem nempe, sine quo nec potest quisquam Christianè viuere, nec ad beatam immortalitatem crescere, industriæ suæ partem eò conferent, vt de suo aut aliorum ore, [b] quos ad eam rem iudicabunt idoneos, pueri rudesque Christianæ doctrinæ elementa depromant.

[a] *Tren. 4.*

[b] *Concil. Agath. ca. 9. Genu. Syno. an. 1573. Syn. Thol. an. 1582. cap. 3. & 4. & de paro. ca. 2.*

4. Et quamquam omni tempore, pomeridiano maximè à finitis vesperis in id incumbere cum laude

possint, tamen quia maior est frequentiorque ad sacrum quàm ad vesperas populi coitio, placet id tùm ab illis fieri, nec concione, quæ hoc esse breuior debebit, quo sæpè est Catechesi infructuosior, vllo vnquam tempore tolli aut minui. Huic porrò cuncti tam viri quàm fœminæ natu grandes iuxta ac ætate debiles intererunt, nisi causa iusta aliqua absentiam excuset.

5. Hunc porrò in instituendâ pueritiâ modum adhibebunt, quem benè informata ratio, publicaque multorum vtilitas moderetur. Itaque etsi vbique, tùm hîc præcipuè laudanda sit in verbis breuitas, in sententiis perspicuitas, eadem tamen iteratò dicere, inculcare, repetere, quò in animos rudes pueritiæ penetrent altiùs, ne grauentur.

6. Vt autem fructus operæ constet,

stet, aliquos initio sermonis de auditoribus suis deligent, à quibus rationem eorum, quæ priore catechesi explicata fuerint, exigent cum aliquo ad illorum acuendam industriam præmio. Quò autem queant hoc officio fungi gloriosiùs, catechismum Romanum Latinè & Gallicè penes se habeant, vnde doctrinam de [a]Symbolo Apostolorum, legis decalogo, Sacramentis, atque aliis ad salutem necessariis hauriant, ex eiusque præscripto populo tradant, sic tamen, vt eius institutionis initium ab oratione Dominica, salutatione Angelica, Symbolo Apostolico ducant, quæ vernaculâ linguâ clarè dici ac perspicuè, præeunte vno de pueris, populo respondente curabunt; vt sic omnes orare, sic mysteria fidei omnia callere discant.

[a] Conc. Mogunt. c. 45. Agat. c. 9. Toler. 3 can. 1.

Archives diocésaines de Quimper et Léon

7. Quò autem operæ pretium maius constet, in hoc munere exequendo Presbyteri Clericique intra Parochiæ fines consistentes Parochos adiuuent, pœnâ Vicarij nostri arbitratu pro culpæ ratione iisdem propositâ qui in tam necessario officio operam suam illis nauare recusauerint, neglexerintve.

8. In quâcunq; Parochiâ, quoad fieri poterit, Presbyter vel Clericus constituatur fabricæ sumptibus, aut populi Eleemosynis per Ecclesiam diebus [a] Dominicis & Festiuis conquisitis, vel confraternitatum, qui Ludimagistrum agat, pueros rudimenta fidei, & obedientiam erga Deum & parentes doceat, sic tamen, vt loco ab his distincto puellas seorsùm habeat, instituatque.

[a] *Trid. sess. 24. cap. 4.*

9. Neque tamen promiscuè cuiquam permissum esse volumus, hác tam vtilem & perneccssariam Christianæ Reipublicæ prouinciam in vrbibus aut pagis Diœcesis nobis concreditæ sibi assumere, sine nostrâ aut Vicarij nostri scriptis exaratâ facultate, quolibet saltem innouandâ biennio.

10. Et quoniam magnoperè metuimus, ne popinæ eo tempore Deo ac Catechistæ auditorium suum furentur, prohibemus Clericis omnibus sub pœnâ suspensionis, ne tùm illas potandi causâ subeant. Cauponibus autem ac propolis ne hospitia sua vlli tùm nisi peregrinis aperiant; ac ad summam librarum decem, quibus senatus anno 1627. eorum qui sibi in hâc causâ immorigeri forent contumacem audaciam coercitam voluit, iustam Dei iram, quâ viui mortuique deflagrent, ac no-

Archives diocésaines de Quimper et Léon

ſtram adiectam volumus.

11. Ac ne quando auditorum inopiâ ab hoc ſe excellenti pietatis opere retardari Parochorum pietas queri audeat; Ludimagiſtris ac parentibus præcipimus, vti ſecum ſemper [a] ad rem diuinam, maximè quo die docenda ſunt arcana religionis ac fidei frequentes cogant. Quâ de re pro concione admoneri eos identidem à Parochis volumus; præcipuè (vti eis imperaſſe in Synodo meminimus) hoc decretum noſtri de inſtituendâ ſacris catecheſibus pueritiâ menſibus ſingulis è ſuggeſtu legent, lectum exponent, expoſitum, vt vtile ac fructuoſum ad ſalutem gloriamque extollent; quæ quia præſtare eis ex memoria non eſt facile, voluntatis huius noſtræ ſcriptis exaratæ teſtimonium penes ſe, aut in armario publico Eccleſiæ

[a] Concil. Mogunt. c. 45. Synod. Tur. ſub Car magno can. 27.

reconditum habebunt, ex quo, cùm res temporaque exigent, depromi poſſit.

12. De Ludimagiſtris autem quia iam ſecundò mentio incidit, iuuat hæc ad commune Eccleſiæ bonum addere, placere nobis, vt qui in Diœceſi noſtrâ habitant, intra tres proximos menſes, ex quo promulgata hæc fuerint, profeſſionẽ fidei apud Vicarium noſtrum foraneum emittant; In poſterum verò nulli ludum litterarium aperire Parochi in Parochiis quiſque ſuis patientur, niſi nobis antè aut Vicario fidem, vitam, mores & opera ſua probauerit.

Archives diocésaines de Quimper et Léon

CAPVT XI.

DE POENITENTIA.

1. VT cibi, quamuis delicati & salubres, corrupto ingesti stomacho in sumentis exitium cedunt, ita & Sacramenta, nisi benè subacto ac præparato ad illa animo venias, plus obsunt quàm prosunt, pœnitentiæ supra cætera, quod confitentium actibus ex parte constat.

Curæ ergo Parochorum erit, sub initium Quadrageſimę, per se aut alios, fideles ad serium conscientiæ suæ examen impellere, hortari ad dolorem, ad plenam integramque præteritæ vitæ explicationem, quas

res duas pœnitenti deesse Sacerdos cùm intelliget, illum ab isto in vtrâque adiuuari volumus.

2. Quod cùm pro dignitate facere nemo nisi litteraturâ tinctus possit, libros vnum aut plures de iure conscientię Presbyteri singuli habeant, quos subinde legant; eruditos super ambiguis quæstionibus consulant: in summâ, quod sibi reliquum erit temporis à diuinis officiis, non in ludis, iocis, compotationibus, sed in sacrarum litterarum ac Theologiæ moralis studiis, aliisque religiosis officiis traducant.

3. Confessionibus autem sic vacent, vt meminerint sibi sui, ac profectus in spiritu, famæque curam in primis habendam esse. Quare diligenter aduertent, ne viros & fœminas aliquid flagitij per interrogationes curiosas ac inutiles, quod an-

Archives diocésaines de Quimper et Léon

teà ne cogitarint quidem, imprudentes doceant, & quæ cùm erunt cognitæ, eorum quibus sunt factæ ore ac testimonio illi ipsi qui fecerint erubescant.

4. Caueant insuper, nevalentes, beneque firmas mulieres domi suę, aut in priuatâ alicuius ędę, quòd id hominũ rumoribus pateat, vnquam audiant.

a Conc. Paris. sub Ludo. & Lot. li. 1. ca. 46.

5. Nec verò in Ecclesiâ, cùm nox est clausa, aut ante solis ortum, vel in angulis, & sacristiâ, nisi ex causa necessaria.

6. Aperto autem celsoque loco, quo Confessarius pœnitensque ab omnibus possint conspici: sin minus, obuio omnibus patentique cõfessionum sedes Parochiarum sumptibus, quibus in locis nullæ adhuc sunt positæ, erigantur; quarum forma hæc erit, vt inter pœnitentem &

confessarium interiecta sit tabula, in quâ sit fenestella latitudinis palmorum ad summum duorum, quam ferrea lamina teget, plena foraminum, quæ voci (hoc tantùm) ad aures pœnitentis transitum præbeat, digito nullo modo.

7. Hanc si quando frangi à mendicantibus ac pueris refigi acciderit, iisdem impensis, quibus primò affixa fuit, reparari illicò est necesse, de quo Parochorũ conscientiam oneratam volumus.

8. Ne autem præter propria, etiam alienorum scelerum pondere grauentur; vt seuerè asperi, ita nec esse debent nimis inuerecundè molliterque blandi: quòd enim confessarij illa læui manu tractent, quòd audita dissimulent, quòd in magnis ac piacularibus criminibus fœdè sibi silendum existiment, videre est

Archives diocésaines de Quimper et Léon

eorum authores, malè feriatos homines, vt in pertinaci luto, vnde non est facilè cuiquam emergere, sic in iis hærere, ab iis nunquam resipiscere.

8. Eò ergo curas intendent, vt ad manum parata habeant cuique culpæ ex officina Ecclesiæ depromenda pharmaca. Quare, vt ægrum medicus prece, blanditiis, sæpè censuris aculeatis & grauibus ad sanitatem reuocat, sic nihil non tentare debent ad salutem pœnitentiũ, quorum secundùm Deum seruatores sunt ac vindices. Contumaces ergo in omni patientia & doctrina arguent, languidos ac iacentes ad studia bonarum rerum acuent, incitatos ad iram libidinemque repriment; In summâ, earum rerum in illis sementẽ facient, quibus continetur salus ac dignitas hominis, virtu-

tis amor, vitiorum ingeneratur horror ac odium.

9. Extra Parochias quibus præsunt, sine nostrâ aut Vicarij facultate, confessiones Laicorum etiam reconciliationis nomine non audient; secùs si faxint, præter reatũ culpæ, à diuinis ad mensem suspensi sunto.

10. Vt famæ suæ consulant, hominumque de se iudicia sermonesque non metuant, cùm fœminæ cõfitenti domi suæ, aut in priuatâ cuiusquam æde aures dare erit necesse, id non nisi in morbo, & cubiculi ostio aperto facient.

11. Quia [a] *accedentem ad Deum credere oportet quòd est*, &c. eius autem ac mysteriorum, quę religionis nostræ sunt propria, plures Parochorum vitio in pagis oppidisque ignorantiâ nunquam satis in Chri- [a] Hebr. 11.

Archives diocésaines de Quimper et Léon

stiano culpandâ laborent; Parochis ac confessariis quàm possumus stricte præcipimus, ne quem ad se venientem amodò è villis absoluant, aut ad Sacramentum recipiant, quem fidei principia probè calle re non antè planè perspectum habeant; quod quia nosse nisi eius ore testimonioque nequeunt, paucis ac breuiter interrogabunt de Deo, de oratione Dominica, salutatione Angelica, Symbolo fidei, decalogo ac Sacramentis; quę si eum ignorare compererint, de omnibus ac singulis ante confessionem instruent, instructum quoquo modo de iis, quæ ad salutem scire est necesse, absoluent; vt catechesi interfit, ibique cum pueris orationem Dominicam, cæteraque memoriter discat ac recitet, ei pœnitentię iustæ loco iniungent.

12. Prauam autem consuetudinem, quæ nonnullis in locis inuetterauit, vt confessarij pueros & puellas ad Confessionem accedentes plures simul audiant, sic à moribus vsuque communi hominum, vt contrariam legi Dei, ac sanctitati Sacramenti, quod secretum esse debet, eliminatam volumus, vt eam tenere, ac sequi Sacerdotibus amodò non liceat; vetare autem sub pœnâ suspensionis ipso facto incurrendæ iam placeat.

13. Ac ne sibi eam facultatem ignorantiâ aut negligentiâ arrogent, quam sibi concessam esse non sciuerint, casus sanctæ Sedi reseruatos, vt in Bullâ Cœnæ Domini præcipitur, penes se ac ad manú annotatos habeant: tam hos, quàm quos de fratrum nostrorum consilio fori nostri, iudiciique esse iustis de cau-

Archives diocésaines de Quimper et Léon

sis placuit, certis temporum interuallis, sed primâ semper Quadragesimæ hebdomadâ relegant: quæ populo inculcanda, quæ sunt emendanda à Parochis, tùm maximè discere satagant.

14. Quorum Confessiones exteperint, horum nomina cognominaque ne excidant, fideliter in libro annotent, iisdemque si peregrini sunt, si mendicantes, si sine vllâ certâ stabilique sede erronès ac vagi, eius rei præstitæ scriptum testimonium ad Parochum suum perferendum ne denegent; eos vt in propriâ Parochiâ iuxta sanctæ Romanę Ecclesiæ vsum & præscriptum communicent, admoneant.

15. Quos apud vnum aliquem Sacerdotem de Parochia peccata sua non deposuisse Parocho constiterit, horum nomina sex diebus ab

Octaua Paschæ decursis ad nos deferet, vt pro paterna nostra in omnes charitate ac fide commonitos reuocemus ad officium; sin minus, in iis obstinatæ nimis in diuinarum contemptu legum peruicaciæ statuamus exemplum.

16. Damnato abusu, qui in multis Diœcesibus inualuit ignorantiâ Sacerdotum, vt de peccatis suis Confessionem non instituant nisi hypotheticam, Confessario scilicet pœnitentem interrogante his ferè verbis, si peccasti in hoc aut illo rerum genere, ecquid te pœnitet? & hoc ipsum approbante aut negante; Prohibemus in nomine Domini, ne laicus vllas eiusmodi impositarum facere, vel factas recipere Sacerdos audeat, quòd operam non tantùm suam in eo vterque perdat, sed (quod sine lacrymis dicere non

Archives diocésaines de Quimper et Léon

possumus) animi naufragium faciat, cùm eiusmodi confessionibus horribili sacrilegio se ambo impient.

17. Cùm sacrorum Conciliorum decretis, [a] Tridentini in primis sit cautum, ne quis secularium Confessiones excipiat, nisi approbatus ab Episcopo; sub interminatione diuini iudicij, & suspensionis ipso facto incurrendæ Vetamus, ne quis posthàc sacro huic ministerio vacet, nisi qui anteà à nobis, aut Vicario nostro tùm vitæ morumque integritate, tùm litteraturâ & experientiâ fuerit ad eam rem iudicatus idoneus. Ac ne quis abusus in præiudicium huius nostri decreti contemptumque obrepàt, imperamus Archidiaconis, vt si quos Parochias visitando repererint contra hoc nostrum decretum facientes, eos primo

a *Trid. sess. 23. cap. 15. de reformat.*

mò nostro nomine sacris interdicant; Deinde, si opus est, gradu loco que moueant; ad postremum nomine nostro excommunicent, tanquam pro nobis in hâc parte Vicariâ potestate fungentes.

18. Quia Vicarij in Parochijs partes sunt ad populum dicere, morib̃dos ad extremam luctam inungere, spe plenos ad beatam immortalitatem emittere; recèns natos alieno ore in Christi verba iurantes ad sacram eius militiam adlegere: interest autem plurimùm habere eo momento temporis, ex quo pendet æternitas, vt pietate ita & conditione præstantem virum, qui animi sui vim omnem ad ægri salutem transferat; isto tam excellenti ministerio defungi quenquam in Diœcesi nostrâ nolumus, quem nostris aut Vicarij ad id delecti suffragiis tali Ma-

Archives diocésaines de Quimper et Léon

giſtratu dignum eſſe anteà non conſtiterit: Curati, id eſt, Vicarij hoc deſtituti iudicio, omni abſoluendi poteſtate carento.

19. Quò autem hi maiori ad virtutem impetu ferantur; officio autem, vti Dei Vicarios decet, accuratè & ex fide fungãtur, iuſta operæ ſuæ ſtipendia 10. aut 12. aureos annuatim habento. Hæc Parochis omnibus poſita lex eſto.

20. Ac vt omnes intelligant, quàm ſit Prædeceſſoris noſtri viri commemorabili pietate memoria nobis grata, quàm eius decreta Synodalia iudicemus ad æternam laudem, gloriamque opportuna; quod ille quondam, dum viueret, fidelibus in vſu eſſe voluit, peccata ſua vt ſinguli ante Palmarũ Dominicam Sacerdoti exponerent, hoc nos in præſenti ſanctũ, hoc ratum, ac, ſi vn-

quàm firmum eſſe volumus. Primò, quòd tanti ac tam præſtabilis viri iudicium in causâ animæ non ſequi ſit turpe. Deinde quòd ſit abſurdum in breuis hebdomadæ anguſtias confeſſiones omnium, aut magnæ partis Parochiæ annuas includere. Tertiò, quòd præproperè confitẽti ac citò aliquid omittere, quod poſteà conſcientiam mordeat, ſit procliue. Quartò, quòd Confeſſarios noſtros in hoc munere Vicarios nolumus ſub onere fatiſcere, ac non interrupto octidui labore plebi poſtea per valetudinem deeſſe. Quibus nos & aliis inducti cauſis hos duntaxat ad Confeſſionem recipi tùm volumus, qui ab ineunte Quadrageſimâ ad eam diem conſcientiam ſemel expiauerint: qui hanc illotam, qui ab anno Sacramenti vndis non purgatam ad Sa-

Archives diocésaines de Quimper et Léon

cetdotem tùm attulerint, nisi honestâ aliquâ causa ignauiam suam excusent, his inter confitentes locus nullus esto. Post Paschales Ferias Pœnitentiæ sacra limina terunto, absolutioné tùm demùm habento.

20. Quia ars artium, regimen est animarum: eaque ruri sit hoc tempore paucitas hominum, qui eâ laude præstent, vt de mille vix vnus & alter eam vt decet obeat: Mandamus, vt tam Parochi, quàm qui eos excipiendis suorum Confessionibus in animarum salute adiuuant, formam interrogandi Pœnitentis, quam ipsi magno labore è Catholicorum libris imperio nostro excerptam in lucem edi curauimus, penes se habeant: sic enim ad manum habebunt, vnde lepram à lepra, sanum à morbido, valentem ab infirmo distinguere valeant.

CAPVT XII.

DE ADVLTERIS publicis, & concubinarijs non absoluendis.

1.ª VÆ homini, per quem scandalum venit, expedit enim, vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris. Id tamen secum non reputare perspicuum est, qui cum salutis suæ certâ pernicie impuris se amoribus inquinant. Quid enim in omnem partem non modò ingenuo, nobilique viro, sed Christiano est indignius, quàm coniuge desertâ adhærere alienæ, & ita suum, & alienum thorum fœdare? Nos ita- a Math. 18.

Archives diocésaines de Quimper et Léon

que, quibus aliena salus curæ esse debet, vt tanto ac tam præsenti malo remedium non desit, Parochis ac Confessariis omnibus præcipimus, ne quando adulteros publicos, hominum genus tam libidine suâ infame quàm violatione fidei sacro sanctæ, quæ inter coniuges stabilis æternaque esse debet, ad Sacramenta admittant, sed ad nos absolutionis causâ remittant.

2. Cùm viri vxoribus suis iuxta Apostolum honorem & amorem debeant; nec sit facilè reperire quidquam, quod eorumdem mutuam erga se reuerentiam ita pessundet, ac præpostera libido, quæ se extra matrimonij honesti fines effundit, quam tamen plerique in suarum animarum dispendium, legis diuinæ contemptum, & totius Ecclesiæ scandalum sectantur, pellici, legitimâ suâ coniuge desertâ, fœdè inhærentes, ex quo labefactari familias, pacem subrui, iurgia inter propinquos nasci, domi omnia querelis, foris litibus ac iurgiis impleri est necesse. Quas Ecclesiæ matrimoniique pestes quia odimus, ac eliminatas à nostra Diœcesi cupimus, omnibus Ecclesiarum Parochialiũ Rectoribus, ac eorum vice fungentibus Præcipimus in id incumbere, vt intelligant an in suis Parochiis aliqui sint tales, quos vesanæ voluptates eò vsque transuersos agant, vt coniuge non contenti domi suæ aut alibi concubinam ad libidinem habeant; & quos repererint, hos nobis aut Vicario nostro denuntiare mandamus: Isti autem, vt pro virili eos officij sui admoneat, admonitos, si sapere ac in viam redire nolint, pœnis à iure propositis re-

Archives diocésaines de Quimper et Léon

primat; Clericos quidem, si ab eo secundò aut tertiò admoniti concubinis non abstinuerint, domoque eiecerint, mulctet priuatione distributionum sibi pro cantu officioque debitarũ, iuxta Tridét. ac verò etiam suspẽsione à diuinis [a]. Vxoratos autẽ toties commonitos excommunicatione puniat [b], à qua consentaneè decreto Concil. [c] non absoluantur, donec re ipsâ admonitioni factæ paruerint, *Nimis* [d] *enim reprehensibilis est qui vxorem habet & ad aliam mulierem accedit.*

a Sess. 25. cap. 14.

Concordata paragro de publicis concubinarijs.

b Tolet. 1. c. 17. Conc. Agat c. 17.

c Sess. 24. cap. 8.

d Leo decimus in cõcordatis titul. de pub. concubinarijs.

CAPVT XIII.

DE EVCHARISTIA.

1. SAnctissimum Eucharistiæ Sacramentum à Christo Domino in vltimâ cœnâ institutum ad iugem suæ passionis memoriam quantâ veneratione sit colendum, cùm [a] Concilia, tùm sanctorum Patrum exempla demonstrant. Quocirca, vt omnis in eius vsu ministerioque culpa vitetur, hæc sibi Parochi curanda sciant. Primùm vt ad eam neminem admittant, nisi quem innocentia, vitæque probitas commendat. Quare matrimonio coniunctos, si qui sunt incontinentiæ

a Trid. sess. 13.

Archives diocésaines de Quimper et Léon

ſuſpecti, ac ſeorsùm non interce-
dente Eccleſiæ iudicio habitant,
publicos item concubinarios, v
pote quorum imparatæ conſcienti
peccati onere grauantur, ab eâ pro
virili ſuâ arcebunt.

2. Alterum, vt Cancellos, quan-
tùm Eccleſiarum anguſtiæ patien-
tur, ac reditus faciendos curent, ad
quos communicaturi modeſtè ac
grauiter accedant, quantùmque
cómodè fieri poterit viris ſeorsùm
à mulieribus; ſin minus, longiora
ſubſellia albis mãtilibus inſtrata pa-
rata habeant, ad quæ vtroque flexo
genu fideles de eorum manu Sacra-
mentum recipiant.

3. Tertium, Vt poſt commu-
nionem vinum populo non porri-
gant in calice conſecrato, ne imper-
riti in eam opinionem veniant vt
exiſtiment ſe Domini ſanguinem
bibere.

4. Quartum, Vt ſtrophiola cu-
rent aut mantilia, quibus ora ab-
ſtergant Laïci, qui purificauerint;
nec eo nomine adhibeantur cali-
cum panni, quos purificatoria ap-
pellant.

5. Vt autem qui tanto Sacra-
mento debetur honos ex parte red-
di queat, hortamur Parochos, quo-
rum in templis nullum adhuc extat,
vt ad eius decentem cuſtodiam ta-
bernaculum ligneum non penſile, a Concil. Turon. 2. can. 2.
ſed ſtabili fundamẽto obfirmatum,
quoad fieri poterit, auro obdu-
ctum, Chriſti ſeruatoris, & Apoſto-
lorum figuris venuſtè ſcitèque di-
ſtinctum parari in medio altari fa-
bricæ Eccleſięque impenſis labo-
rent, in quo Sacramentum claue ob-
ſeratum perhonorificè ſeruent.

6. Id facient, ſi dicti tabernaculi
latera pretioſo holoſerico, quòque

Archives diocésaines de Quimper et Léon

magis sit conspicuum, albo aut purpureo insternent, si illuminari gemmis, si distingui stellis, aut re aliâ simili ad ornatum apprimè vtili curent.

7. Dabunt præterea operam, vt in fundo tabernaculi, quod conopæo, quantùm commodè per facultates Ecclesiæ fas erit, pretioso velandum erit, corporale sit nitidú, cui pixis, in quâ Sacramentum asseruatur, insideat; Hæc porrò communiter erit argentea, vel (si locorum copiæ ad eum sumptum videbuntur exiguæ) aurichalco saltem cusa, operculo tuto clausa, operimento serico tecta, ita fabricata vt scapo facilè apprehendi possit.

8. Porrò ad maiorem Sacramenti reuerentiam lampas vna aut plures è regione maioris altaris lampa-

dario decenti antè tabernaculum pendebunt, quæ Parochiæ sumptibus semper ardeant. Qui enim in nugis sumus effusè prodigi, hos in Dei causâ illiberales esse perquàm est turpe.

9. Cùm ad ægros deferendum erit, Sacerdos aut Parochus non nisi superpelliceo stolâque indutus in publicum prodibit, puero præcedente, qui crucem præferat, altero item cum aquâ benedictâ & campanulâ, qui populum officij admoneat, admonitum ad cultum & venerationem impellat.

10. Et quamuis credamus nunquam aut rarò defuturos, qui Christũ procedentem honoris causâ prælatis luminibus non subsequantur, ac præeant, volumus tamen in Parochiis laternam minimùm vnam hastili firmiter infixam

Archives diocésaines de Quimper et Léon

esse, quam Clericus accensam, clati-
samque Sacramento præferat, vt si
lumina cætera vento, aut quâlibet
aliâ tempestate extingui casus ferat,
hæc perpetuò ardens, lucensque
maneat.

11. Erunt autem in pixide ad hos
vsus destinatę hostiæ duæ, quarum
altera infirmo dabitur, reseruabitur
altera ad ciendam populi deuotio-
nem in reditu. Quòd si Parochi
culpâ aut incuriâ nulla supereſſet,
nec antè eum ardere lampas, nec
tintinnabulum sonare per viam pos-
set.

12. Quod cùm accidet, antequàm
è domo infirmi pedem efferat, su-
perpelliceum exuet, pixidem pro-
palàm non referet, sed sub veste aptè
ac decenter reconditam.

13. Cùm quo Christum honore,
quo cultu prosequi in Sacramento

sit necesse, etiam nobis tacentibus,
res loquatur, [a] *Et antè expiata pecca-*
ta, antè exomologesim factam crimi-
nis, antè purgatam conscientiam sa-
crificio, & manu Sacerdotis, nobis
pax non sit, sed bellum, ijsque rebus
spretis vis inferatur Corpori Christi &
Sanguini, & plus in eum peccetur
manibus & ore, quàm cùm est nega-
tus, Commissos sibi populos sedu-
lò Parochus hortabitur, non modò
vt confessione scelerum animum
emaculent, sed vt eum quoque bo-
norum operum floribus conuesti-
tum exornent, spei, fidei, charita-
tis, cæterâque virtutum suppellecti-
le illustrent. [b] *Ipse*, enim, *panis qui*
natus in Virgine, fermentatus in Car-
ne, in passione confectus, in fornace
sepulchri coctus, in Ecclesiis conditus,
illatus altaribus, cœlestem cibum,
nonnisi bene subactis, paratisque

a *Cypr. to. 2 tract. de lapsis.*

b *Chrysol. serm. 67.*

Archives diocésaines de Quimper et Léon

pectoribus subministrat. Quo de numero esse fideles vt possint, dabunt Rectores operam, vt breui sermone, cùm communicandum erit in Paschate, aut Festis anni solemnioribus, illos officij commonefaciant, eosdem ad fidem, spem, & charitatem erga Deum acuant; quæ eius recipiendi dignè, vt oportet, & sanctè ratio sit tenenda, qui modus edoceant, quæ post sacram synaxim cuique sunt agenda aut vitanda exponant.

14. Et quanquam dignâ satis à nobis extolli laude nequeat eorum charitas, qui grassante lue alienam salutem capitis sui periculo procurant, ægros ad magnorum cruciatuum tolerantiam animant, Sacramenta ijs administrant, salutari viatico ad extremam luctam corroborant; fieri id verò ab ijs hostiâ

hostiâ illigatâ ac hęrente summitati virgulæ probare nec possumus nec debemus. 1. Quia id est periculi plenum. 2. Quia in Ecclesiâ Dei est hoc nouum, & insolens. 3. Quia à prisci æui more abhorrens. [a] Scimus quidem ad dubia animæ tempora hostiâ Christianis diuidi olim solitam, vt quòcunque casus eos ferret, hanc secum circumueherent, sed non ignoramus illam tùm non nisi in nitenti linteo (quod [b] *Dominicale* nominant) recipere licitũ. Quare Clericis, quos amodò charitas ad sanctũ hoc & salutare ministerium iuuandarum mentium impellet, seuerè prohibemus, ne posthàc Eucharistiâ ægris è bacillo distribuant, aut aliter ad lapsum exponãt. [c] *Quod enim in Ecclesiâ non licet, priuatim ac domi cur liceret?* Ergo, quod olim Christianis erat in vsu, hoc ipsum

a *Gregor. Nazian in orat. funebri de sancta Gorgonia. Surius in vita S. Laurent. dublin. Episcopi.*

b *Concil. Altisiodorense sub Fredegõde Regina.*

c *Hieron. epist. 54.*

Presbyteri seruent in distribuendâ Eucharistiâ morbidis. Ex eorum familiâ, si qui erunt sani, [a] *sinistram quasi sedem quandam subijciant dexteræ Christi Corpus in linteo recepturæ.* Exinde reuerenter illud ac honestè ad jacétes amicos deferát. Facere id propter periculum, inopiam seruorum, solitudinem amicorum si minus erit integrum, è Calice aut sacro linteamine, cui *Corporale* est nomen, hoc ægri sibi suis ipsi manibus, aut alienis accipiant: hunc morem postmodùm in eorum cómunione non seruare piaculare esto; quia priore damnato hic expriſco Ecclesię placet; ab eo recedere impunè nulli esto, pœna delinquentis certa sit à sacrorum vsu suspensio.

[a] *Cyrillus in Catechesi Mystagogica 5.*

CAPVT XIV.

DE ORDINANDIS.

1. VIA exquisito iudicio inquirendum esse in eos, qui ad Sacerdotiũ aspirant, non modò Paulus Apostolus, sed ratio quoque ab Ecclesiæ legibus illuminata admonet: Hosium enim scimus, excellentem illum virum, qui rem Christianam propè collabentem incredibili oris facundiâ in Oriente sustinuit, cùm differeret, [a] quemquam citò & temerè ad ordines recipi neque diuinas litteras neque morem maiorum, communeque bonum pati, ab omnibus laudatum esse, nec in graui illo, cœlestique

[a] *Cõc. Sardicense cã. 10.*

Archives diocésaines de Quimper et Léon

Ecclesiæ ac orbis senatu tùm repertum esse vllum, qui non voce suâ & calculo admirabile eius dictum animique consilium præstabile approbauerit; Nos ergo tam eius oratione impulsi, quàm propriâ inductione animi, quod [a] Tridentinum imperat, nemini in Diœcesi nostrâ ad sacros ordines accessum esse volumus, qui non sit optimorum hominum sententiâ iudicatus illis dignus: ad eam rem commissarios quoque per prouinciam præfecimus, qui de initiandi ætate, corporis & animi valetudine, mentis tranquillitate, moribus, doctrinâ, & aliis ad gubernandam Ecclesiam animi dotibus opportunis, datis ad nos litteris manu suâ obsignatis referant.

[a] *Sess. 24. cap. 18.*

Erunt ergo hæ partes Clerici, qui initiari à nobis volet, his ante omnia munire se testimoniis, quibus

destitutus si erit, aditus sibi omnes ad ordines intercluſos sciat.

2. Et quoniam vnum aliquem errare pronum est ac facilè; multos verò vel omnes arduum & difficile; Interest autem plurimùm Christianæ rei non alios ordinare quàm Clericos boni testimonij: Nos, qui scriptum esse scimus in Conciliis, [a] Episcopos priscis temporibus Cleri ac populi communibus suffragiis creari solitos, volumus, vt qui posthàc ad sacros Ecclesiæ Magistratus, Presbyterij, Diaconatûs & Subdiaconatûs in Diœcesi nostrâ promoueri volent, trinâ denuntiatione in Ecclesiâ Parochiæ, quam inhabitãt, insinuentur populo; [b] ac si quæ in eorum vitâ ac moribus macula adhæserit, hæc multorum iudicio ac sermone detecta tandem ad Parochi aures, oculosque perueniat, cui

[a] *Aurel. 2. can. 7. Aurel. 3. c. 30. Aruern. 1. c. 2. Cabillon. ca. 10. Paris. 1. can. 7.*

[b] *Carth. 4. can. 22.*

Archives diocésaines de Quimper et Léon

id imprimis curę erit vt de eâ nos confestim ad Dei gloriam admoneat.

3. Quoniam mendicatò Clericum viuere, aut ostiatim stipem petere est turpe, quod [a] Tridentinum Galliæque Concilia prouincialia exigunt, Subdiaconi, cùm se nobis ordinandos offerent, probabùt habere se in redditibus beneficij vel amicorum liberalitate, quantum est ad sustentationem mediocrem legibus vsuque communi Galliæ necesse.

[a] Sess. 21. cap. 2.

4. Est hæc porrò summa librarum circiter quinquaginta, quo in genere quia peccari multa à multis scimus; vt fraudibus ad nostram Ecclesiæque iniuriam omnis in posterum præcludatur aditus, hæc Subdiaconis tenenda erit cautio, primò hunc vt censum non in liberali solius Parochiæ voluntate ac Eleemosynis constitutum habeant, sed in re aliquâ certâ ac stabili vnius aut duorum de eâ fidelium, de quo constare nobis literis Notarij publicâ manu exaratis debebit. Ipse verò non priùs has scribet, quàm duo illius loci probatæ vitæ homines iurati attestentur, censum illum à donante assignatum iure ac pacificè à donatario Clerico possideri, nec ab eo, qui fruendum dedit, posse repeti.

5. Secundò, in id quoque Subdiaconos, vt nobis probentur, incumbere est necesse, vt Parochi inter Missarum solemnia populo significent quo quisque eorum nomine tituloque promoueri ad ordines appetit, vt palàm sit verane an falsa loquantur, cùm de hoc aut illo censu redituque gloriantur.

6. Quoniam veteri instituto Ec-

Archives diocésaines de Quimper et Léon

cleſiæ nemini olim in ſacram Clericorum militiam aſcribi fas erat, niſi qui ſuâ ante aut Epiſcopi voluntate ad [a] certæ Eccleſiæ vti ſponſæ miniſteria amoreſque ſe obligaſſet; nolumus in Clericorum numero quenquam in Diœceſi noſtrâ eſſe, qui non certæ alicui eius Parochiæ ſit addictus, è quâ ad aliam tranſire ſine noſtrâ aut Vicarij facultate factus Sacerdos nequeat.

[a] Syn. Ro. ſub Eugen. & Leone 4 can. 10. Anaclet. ep. 3. & diſt. 80. can 3. Chalced. can. 20. Aquiſgr. ſub Lud. can. 44.

7. Et quia metuimus ne, vt ſunt tempora hominumque ingenia doli plena, plurimi ad ſacros magiſtratus viam ſibi artibus doliſque muniant, nempe mentiendo eius Eccleſiæ teneri ſe ſtudio, à qua fortè abhorrent animo; Scribæ inhibemus, ne vlli literas ordinis à nobis recepti fidem habentes antetribuant, quàm de Parocho initiati reſciuerint, eum Parochiæ ſuæ

aut alteri, vt dicit, adſcriptum eſſe.

8. Clericæ, hoc eſt, vt vulgò loquimur, tonſurę inſignibus ornari à nobis qui volet, præter ea quæ illū ex Tridentino Concilio præſtare conuenit, rudem minimùm de gradu quem ambit, ac myſteriis Chriſtianæ fidei anteceptam animo notionem ſecum afferet, mores, probitatem, ac innocentiam, vt ea fert ætas, Clericorum maieſtati ac perſonæ congruam; quæ quia nobis cognita eſſe per locorum interualla nequit, de eâ Parochi iudicio teſtimonioque certi fieri volumus.

9. Prætereà, hæc omnia de ſe literis legitimè teſtata afferet. Primò, Diœceſanū eſſe noſtrū ac Iuriſdictioni & auctoritati noſtræ quàm optimo iure obnoxiū; nempe quia origine, domicilio, aut beneficio

Archives diocésaines de Quimper et Léon

aliquo nostræ Diœcesis sibi à Pontifice Romano aut nobis Ecclesiæ lege concesso pars eius Pontificum canonumque iure censetur. Secundò, in eo nihil esse, quamobrem instituto canonum ac iure accenseri Clericis nequeat. Tertiò, sacro eum chrismate confirmatum esse. Quartò, parentibus legitimo inter se matrimonio nexis ortum esse. Quintò, spem esse, vt in Clericalis ordinis disciplinâ perseueret.

Quæ omnia alienæ Diœcesis homines de se quoque Parochi literis aut Notarij testata afferent cum ordinarij dimissoriis, quibus & potestas eis fiet suscipiendi à nobis ordinis, aut tonsuræ, & testimonium exhibebitur comprobationis scientiæ per examen.

10. Et quanquam fastuosâ scientiâ virtus sit potior, præstetque Cle-

ricos bonos esse, quàm superbè doctos; quia tamen [a] *Virtus non contingit nisi animo instituto, & erudito,* Sæpèque vsu venit, vt [b] *ædificatus libris locum non relinquat vitiis, vbi in teneris annis acquiritur quod maturâ ætate seruetur*; quò eorum non modo infamiâ, sed suspicione quoque Clerici careant, cùm adultâ iam ætate viri erunt, [c] inerudito in eorum ordinem cooptari fas nulli esto; præter fidei principia, quæ in scholis vulgò traduntur pueris, Acolythus Latinè loqui expeditè, & facilè intelligere calleto: hâc scientiâ vacuo ad lectoratum aut infimos gradus Clericorum aspirare nulli permissum esto: quos enim sacrorum administros, quos ad res magnas & diuinas à Deo institutos nouimus, hos tàm eruditione quàm virtute credimus oportere cæteris antecellere mor-

a Sen. ep. 95.

b Cassiod. li. 3. ep. 11.

c De electione extra can. 6. & eodem tit. c. 16.

talibus. Nam dæmoni in human
corpore vim facere, Energumen
ad sacra altaris mysteria præparar
quę propria Exorcistarum mun
Ecclesia Conciliaque esse aiunt;[a]
pulpitis autem veteris ac noui Test
menti paginas populo legere, quo
facere lectores addecet,[b] litterarur
rudes & ignari quî possunt? N
nos ergo aut hæc nescisse, a
maiestatem Ecclesię populique c
modum prodidisse posteritas ar
guat, tam nostræ, quàm aliarum
prouinciarũ Clericos admonemus
ne se nobis sine Catechismi notitia
litterarum, ac scientię apparatu plus
quàm tenui ad minores ordines ob
trudant, nisi reijci vt indigni am
biant.

a *Concil. Laodic. ca. 26. Carth. 4. can. 7.*
b *Cypr. lib. 2. epist. 5.*

11. Vt autem est eorum ordi
num, quos maiores vocant, specie
maior, & dignitas illustrior, ita o

portet eorum condidatos eruditio
ne minoribus Clericis præstare.
quia ergo Hyppodiacono permis
sum est[a] instrumenta vasaque di
uinis apta ministeriis tangere, Epi
stolas legere, [b] Diaconis in sacro
sancto Missæ sacrificio operam na
uare, sicut à patribus traditum vni
uersa Ecclesia approbat in Toleta
no Concilio 4. Can. 27. his autem,
qui[c] *Episcopi sunt oculi oberrantes*[d] *&*
circumlustrantes cum verecundiâ actus
totius Ecclesiæ, his (inquam) quia in
cumbit instituto veteri Pontificum
Eucharistiam distribuere populo,
[e] Euangelium legere, Sacerdoti sa
crum facienti assistere, Episcopum
progredientem in publicum hono
ris causâ pręcedere; quę officia verè
diuina, hominique cum Angelis
communia quia obire non nisi ęgrè
literarum inscientes possunt: nolu-

a *Can. non licet dist. 23.*
b *Rhem. Conc. c. 4.*
c *Euaristus Papa in ep. 1. ad Episcopos Africa:*
d *Clemens Papa. epi. 1.*
e *Clemens Rom. li. 2. cõst. Ambr. lib. officior: 1. cap. 42.*

Archives diocésaines de Quimper et Léon

mus vlli in ijs ordinibus locum in Diœceſi noſtrâ eſſe, quem non à pueritiâ literæ humaniores expoliuerint, philoſophia autem, hauſtáque è morali Theologiâ juris ambigui de conſcientia tolerabilis notitia ad animarũ regimen idoneum fecerint. Ab ijs ergo diſciplinis inopi inter Preſbyteros ſubſiſtere nulli conceſſum eſto.

12. Eorum autem nomina, honoríſq; præclara decora ſibi commendatitijs nobilium ad nos aut Vicarios noſtros literis emendicare ſic à rectâ ratione ac demiſſione propriâ Clericorum alienum ducimus, vt his non modò niti, ſed eorum ſolo duntaxat nomine gloriari, legibus, quas nos nobis volentes imponimus, ſit ſibi omnem Magiſtratus Eccleſiaſtici per ordines conſequendi ſpem tollere. Ab

his ergo quiſquis nõ tam ſuâ quam alienâ virtute, ac commendatione fretus ſe nobis ordinandum poſthàc offeret, æternùm, vti decet, authoritate noſtrâ excluditor.

13. Neque de ętate modò, ac moribus ordinandi doceri volumus, alia de Commiſſarijs ipſi noſtris appetimus. Ergo quòd ſpurijs ac nothis conſiſtere inter Clericos ſacri Pontifices nefas exiſtimant, explicabunt Commiſſarij in ijs, quas ad nos daturi ſunt, literis, 1. Ecquid initiandi parentibus legitimo inter ſe matrimonio iunctis ſint nati. 2. Ecquid alieno ſanguine tinctas manus habeant. 3. Ecquid culpâ ſuâ in populo male audiãt. 4. An ebrietati. 5. An amoribus ac libidini ſint dediti. 6. An corpore animóq; ſint ſano. 7. An ad obſequendum parentibus ac

Archives diocésaines de Quimper et Léon

magistris prompto. 8. An ad pietatem erga Deum prono. Quę sigillatim ac ordine narrari in hunc modum nobis poterunt. *N. Parrochiæ de N. Clericus, Parentes habet N. N. legibus Ecclesiæ matrimonio inuicem nexos. 2. Virtutem amat, iustitiam colit, vim nulli intulit. 3. Infamia ei nulla suo vitio est inusta. 4. ebriosus non est. 5. Popinas non frequẽtat, de impudicitia suspectus non est; in quorum fidem manu meâ subscripsi N. Parochiæ de N. Rector ac Reuerendissimi Domini in Christo Patris Renati de Rieux Commissarius.*

CAP.

CAPVT XV.

DE MATRIMONIO.

1. CErtissimi iuris cùm sit matrimoniũ nullum esse, quãdo superstite prima vxore, secunda à marito ducitur, & ea sit hoc tempore corruptela morum, vt posthabitâ omni sui Deique curâ sint, qui secunda connubia præposterâ nimis fœdâque libidine ambiant agantque, primis necdùm cõiugis suæ interitu dissolutis; quòd eò in hâc nostrâ Diœcesi faciunt audaciùs, quo propter locorum distantiam rarior est ad eam hominũ è dissitis remotisque Galliæ prouinciis transitus, vt indicant exempla,

Archives diocésaines de Quimper et Léon

quæ recenti memoriâ magno dolore vidimus: quæ ne iterum eueniant, sub pœnâ suspensionis ipso facto incurrendæ prohibemus Sacerdotibus, ne alienigenas, aut ex vicinis remotisq; gentibus hùc appulsos fœdera matrimonij inire vlla sinant, aut contrahentibus testes se præbeant, nisi fide publicâ vrbis, in quâ sunt nati, aut priuatâ Parochi ac Iudicis Regij literis testatâ sibi constet Catholicos esse, coniugiique lege domi suæ solutos esse; quo de testimonio, ne quis errori sit locus, nostrum erit iudicare, aut verò Vicarij nostri.

2. Vetus est verbum, qui male agunt, odio habere lucem, quod etsi de omnibus vniuersè dicere non possumus, quæri tamen à multis tenebras etiam in re sacrâ ingemiscimus; quam tamen luce, pa-

lam, & publicè ad omnium exemplum fieri esset necesse, cùm Christi Saluatoris imperio ita cunctis sit viuendum, vt eorum opera quasi in theatro proposita ad admirandum omnibus pateant; [a] itâque glorificetur Deus, qui est in Cœlis. Quocirca districtissimè prohibemus Parochis, ne matrimonia, quæ fieri in facie Ecclesiæ antiquo more debent, [b] noctu, aut ante auroram in templis quâcunque ex causâ contrahi sine nostrâ facultate sinant, aut his se præsentes sistant. Contra hanc legem facientium pœna esto, pro Clericis quidem suspensio, pro Laïcis Dei omnipotentis nostraque indignatio.

a *Math. 5.*

b *Concil. apud Palat. Vernis habitum can. 15.*

3. Quoniam in alienam messem falcem immittere non modò indecorum est ac turpe, sed iniustum ac ordini, quo Ecclesiam Deus regi

Archives diocésaines de Quimper et Léon

voluit, exitiabile; Nolumus sine Rectoris, aut Vicarij bonâ veniâ, iudicum autem decreto in casu minoritatis contrahendi sponsalia ius ac potestatem vlli esse coram Sacerdote alterius Parochiæ quàm suę: quod ipsum fieri cùm continget, his quoque Notarios, vti testes fidei mutuæ inter sponsores, interesse erit necesse; ac si fortè aberunt aut è vicinis circa locis per inopiam contrahentium euocari non poterunt, sponsaliorum conditiones describi, & à sponsoribus, aut aliis eorum rogatu subsignari oportebit. In id peccasse, deprehensi qui erunt, pœnis per canones iuraque Pontificum statutis mulctantor.

4. Ac ne vllius sibi culpæ periculum sponsores creent, aut de se, loquendi præposterè plebi imperitę causam aliquam suppeditent, autho-

ritate, quâ Dei vice in terris fungimur, sanctè vetamus Parochis, eorumque Vicariis, ne posthac in popinis aut intempestiuis diei horis dicta sponsalia fieri sinant, aut faciendis præsentiam suam accómodent; operæ enim tam in hoc quàm baptizandi pueri laudabili ministerio quia stipendium honestum esse nequit liberalis ac larga, cùm populis compotatio, vt hanc districtè prohibemus Clericis, ita istis à Patrinis, mercedem laboris sui in pecuniâ exsolui imposterum volumus. In hanc legem peccasse argui si poterunt, distributionum iure, quæ in singulis quibusque Ecclesiis, illis de consuetudine obueniunt, carento: id vt fiat omni collusione ac remissione exclusâ Parochus inuigilato. Huic nostro tam iusto imperio parere si renuit, ipso facto suspensus esto.

Archives diocésaines de Quimper et Léon

5. Præterea, ſacræ Tridentinæ Synodi decretis inhærẽdo vetamus, ante benedictionem Sacerdotalem à ſponſo ſponſam (quòd periculoſę res ſit plena aleæ) à paternis, aut ſuis ædibus ad alienas transferri. Eâdem autem vti domo ac lecto, quod Parochorum inſcitiâ in multis eſt toleratum, nulli impoſterùm ſub pœnâ excommunicationis permiſſum eſto. Ne impuris interim amoribus implexi, virtutis ac famæ naufragium faciant, matrimonium iuſtâ nullâ causâ prohibitis vltrà trimeſtre trahere aut producere non liceto.

CAPVT XVI.

DE FESTORVM Celebratione.

1. VANTA ſit vbique æſtate, maximè verò in ferijs Paſchæ ac Pentecoſtes, templorum ſolitudo Dominicis ac Feſtis diebus, norunt gemúntque Parochi. Dabunt ergo operam, vt in Pronis ſuis ſingulos commonefaciant ſic illo tempore peregrinandum ſibi eſſe, vt à re diuinâ, ſacróque Miſſæ ſacrificio ſuam erga Deum ſanctóſque Religionem inchoent.

2. Quoniam vna Eccleſia capere omnes non poteſt, ac ſæpè eſt neceſſe, cùm vir Miſſæ intereſt, fœ-

Archives diocésaines de Quimper et Léon

minam domi subsistere ad eius familiæque custodiam vel contra; videbunt Parochi, vt quæque Parochia bina minimùm sacrificia habeat ijs diebus, quibus audiri Missa debet.

3 Et quamquam succursalis Ecclesiæ, quàm matricis pauciora debent esse priuilegia, minor gloria, ne tamen dictæ Succursales eâ laude careant, vt videantur diuinis nó inseruijsse honoribus, Parochos id laborare oportet, vt in ijs, diebus Festis cuique sit Sacrosancti Missę sacrificij audiendi copia; solenni autem vesperarum cantu, tùm hę demùm Ecclesiæ ad ęgrorum Senúmque solatium personabunt, cùm pro illis & matrice Ecclesiâ, ad eam rem vtrobíque cum laude exequendam, satis magna Clericorum in Parochiâ copia suppetet.

4. Quàm sit exitiabile, quàm semper infaustum homini saltare, maxime autem in sacro, ac religioso die, Ioannis Baptistæ interitus documento est omnibus mortalibus. Vt enim non essent promiscui cœtus virorum cum fœminis infesti libidine, vt labe, eiusque suspicione omni carerent, habent tamen suos scopulos, ad quos allisa virtus modestiáque concidunt. Cantus enim, choreas, tripudia, magna sæpè consequi solent iurgia, compotationes, infamiæ, dedecora. Quæ si fortè abessent, aut eorum, qui istiusmodi prophanis interfunt conuentibus, probitate ac modestiâ, timenda non forent; est hæc tamen ad rauca tympani murmura, ac fistularum lætos plausus & hilares inuerecunda corporis agitatio, à sacrorum procuratione; Fe-

Archives diocésaines de Quimper et Léon

ſtorumque cultu aliena. Quare ſeuerè in Dei nomine ſingulis eſſe prohibitum volumus, [a] ne eius ac Sanctorum memoriæ dicatos dies hiſce rebus commaculent. Itaque nec in publicis indulgentijs, nec in celebritate loci aut templi publicâ [b] Laïcis ante ædis ſacræ veſtibulum, aut vicinis ei locis choreas agere cum tympanis, cytharæ ac tibiarum ſonitu; nec Clericis, quo die primitias offerunt Deo, cytharœdos aut fiſtulatores ad publicam lætitiam adhibere citra culpam fas erit.

a Conc. Foroiulienſe can. 6.

b Concil. Aurel. 2. can. 12.

5. Ac vt omnes intelligant quàm id Chriſtiano indignum homine, quàm ſit ſingulis in hac humanitate morũ turpe, quanto autem coniunctum cum ſcelere; Primò nolumus talis culpę condonandæ ius vlli eſſe quàm nobis. 2. Contumacibus lo-

cum in Eccleſiâ nullum eſſe, ſi tertiò de decreto noſtro admoniti impudentiæ ſuæ modum non ponant: Clericos autem, qui rerum iſtiuſmodi authores erunt ac teſtes, aut ſuo nomine ludos, tibicines ac cytharœdos plebi dari ſinent, vt rebelles, vt immorigeros, vt in re graui noxiâque animæ, legi noſtræ contrarios authoritate Dei iam nunc, vti tunc, ipſo facto à diuinis, eorumque omni vſu ſuſpendimus; Laïcos autem ingreſſu Eccleſiæ ac Sacramentorum iure priuamus.

6. Vt coacta ſacrificia Deo ſunt exoſa, ita & mutila. Nos ergo conſuetudinem, aut veriùs corruptelam, quæ in noſtrâ ac vicinis circa Diœceſibus inualuit, quo animi ardore poſſumus damnãtes, vt fili, telæ, aut donorum quorumlibet, quæ quotannis ad neceſſarios templi vſus die-

Archives diocésaines de Quimper et Léon

bus Festis offeruntur numini, partem alteram Parochi, cæterique Presbyteri incredibili ausu deriuent ad tibicines, ac id genus homines, qui minutæ plebi, eorum si non imperio, saltem consensu, indulgentia, & consilio ad saltationes, choreas, & irreligiosa tripudia operam suam Festis diebus accommodant: Vetamus sub interminatione diuini iudicij Parochis, cęterisque Clericis, ne postmodùm id agant, aut fieri in Parochiâ suâ permittant. Qui secùs faxint, iam nunc voluntate nostrâ à sacris, eorumque vsu alieni sunto; nonnisi pretio integrè Ecclesiæ antè reddito, vt pote, quod Deo, per iniuriam ab illis ademptam ludionibus est datum, eos absoluendi ab hoc crimine nulli potestas esto.

7. Cùm iuxta Pauli præceptum, qui Christi sunt, pietatem sectari de-

beant, huic autem aduersentur pompæ theatricæ, mimicæ, studia voluptatis, cùm explicari vix queat. [a] *Quam periculosos laqueos virtuti exhibeant*; ibi enim *adulterium discitur dum videtur, & lenocinante ad vitia publicæ authoritatis malo, quæ pudica fortè ad spectaculum matrona venerat, reuertitur impudica*; sub anathematis pœnâ prohibemus Magistratibus ne amodò diebus Dominicis ac Festis, theatra aperiri, comœdias, ludos scenicos, ac irreligiosa spectacula populo dari sinant; singulis autem Parochiarum Rectoribus præcipimus, vt ad nos eos deferant, qui huic decreto non paruerint, vt authoritate nostrâ excommunicentur sicut eos excommunicari præcipit Turonensis Synodus [b], valde enim absurdum est (vt eius verbis vtar) *fideles ijs die-*

a *Cypr. in ep. ad Donat 2. li. 1.*

b *Turon. Syn. an. 1582.*

Archives diocésaines de Quimper et Léon

bus, qui propitiando Deo sunt destinati, fallacibus istis Sathanæ blanditiis illectos à diuinis officiis ac concionibus abduci.

8. *Pudet dicere* (libet enim initio Beati Leonis [a] verbis vti) *& tamen necesse est non silere, plus impenditur dæmonijs quàm Apostolis, maiorem obtinet frequentiam forum, quàm templum, insana spectacula, quàm beata martyria.* quæ probra dedecoráque non modò à Diœcesi nostrâ, sed vniuersâ Ecclesiâ æternùm vt exulent, optaremus prophana hominum commercia, nundinas, ac mercatus, quos diebus Festis agi dolemus, in profestos reijci. [b] *Non enim sunt festiuitates Dominicæ celebrandæ mundanè, sed spiritaliter, non instar Gentilium, sed Christianorum.* Sed enim, 'quia quæ sunt in moribus hominum inueterata, hæc ex-

a *Diuus Leo in sermone de ingratitudinis vitio.*

b *Beatus Effren. tract de Festis.*

tirpare arduum est atque difficile, ista in præsenti tentare non putamus operæ prætium. Nec tamen quod est nostræ curæ, quod Episcopalis prouidentiæ modò præterire possumus. Ne ergo malum vltrà serpat, statuimus ne quis eorum qui ius habent mercatuum, aut à Rege in suum ac subditorum commodum obtinebunt, imposterùm hos indicant die Religioso, ac sacro, si tali nostrâ aut Patrum memoriâ celebrari non sunt soliti; qui secùs faxit, hunc iuxta Turonense Concil. [a] excommunicationis sententiam incursurum decernimus.

a *Tur. Sym. an. 1582.*

9. Quàm impensè aliquando mirati sumus prisci æui in Dei Sanctorumque cultu pietatem, tam nostri modò in eius neglectu audaciam, eorum dierum violatione, qui communi religione sunt sacri,

Archives diocésaines de Quimper et Léon

iustè satis culpare non possumus. Nam tùm purgare horrea, ventilare frumenta, algam stercorandis agris, & id genus inanes maris quisquilias in littus temerè eiectas quærere, quæsitasque magno labore domum Festis diebus euehere, vbique est ferè totâ Dioceſi nostrâ (quod non sine lachrymis dicimus) viris cum fœminis commune; quo quid Christiano homine esse potest in hac fidei luce ac morum humanitate indignius? vt omittam dicere, fulminatas ruri arbores, in vrbibus disiectas ædes, in mari vi ventorum dissipatas naues, sæpè huius malè ominatæ in Dæmonum castris militiæ infausta stipendia esse, à quibus cum omnes in Domino cupiamus immunes viuere, Leonenses nostros maximè, primò quod à Patribus & Conciliis[a] olim est statutum decer-

[a] *Aurel. Conc. 3. ca. 22. Mogũ. iac. c. 37.*

nimus,[a] *die Dominico & Festis rurali opere*, id est, vt loquitur Concilium, *agriculturâ, vineâ, sectione, messione, frumentorum excussione cunctis abstinendũ esse; huic mandato relictâ obseruationis integritate parere qui neglexerit, reum læsæ diuinitatis ac fraternitatis fore.* Quod ne vlli contingat vnquam, omnisque peccandi causa singulis tollatur, de festorum numero certa eximere placuit, quæ vt singulis seruare erit in posterũ vtile, ita & violasse nulli sit piaculare; quæ enim olim à prædecessore nostro fœlicis recordationis Rolando sunt sublata, hæc modò non creduntur à nobis ad publicum bonũ necessaria; præstat enim dies Festiuos habere paucos, quàm multos tam improbitate hominum quàm operum, quæ in illis fiunt, turpitudine minimè venerabiles.

[a] *Aurel. Conc. 3. ca. 26.*

Archives diocésaines de Quimper et Léon

CATALOGVS FESTORVM quæ in Episcopatu Leonensi deuotioni cuiusque sic sunt relicta, vt absque peccato possint non seruari.

Ianuario Mense.

14. Festum Nominis Iesu.
25. Conuersio sancti Pauli.

Februario.

22. Cathedra sancti Petri.

Martio.

7. Sancti Thomæ de Acquino.

Aprili.

4. Sancti Ambrosij.

Maio.

3. Inuentio sanctæ Crucis.
6. Sancti Ioannis ante Portam Latinam.

19. Sancti Yuonis.

Iunio.

17. Sancti Heruæi.
25. Sancti Eligij.

Iulio.

1. Sancti Gouluenni.
13. Sancti Tiuisiani.
20. Sanctæ Margaretæ.
Sancti Turiaui.

Augusto.

1. Sancti Petri ad Vincula.
29. Decollatio Sancti Ioannis Baptistæ.

Septembri.

1. Sancti Ægidij.
30. Sancti Hieronymi.

Octobri.

4. Sancti Francisci.
21. Vrsulæ & Sociarum.
29. Sancti Yuonis.

Nouembri.

18. Sancti Maudeti.

Archives diocésaines de Quimper et Léon

Decembri.

6. Sancti Nicolai.

FESTA MOBILIA
seruanda in Leoniâ.

Christi Domini Resurrectio.
Feriæ prima & secunda sequentes.
Ascensio glorioſa Dom. in cœlos.
Sacer dies Pentecostes.
Feriæ item duę proximè sequentes.
Festum sanctissimi Sacramenti.

FESTA STATA CERTOQ; die recurrentia ab omnibus in Diœcesi nostrâ religioso cultu seruanda.

Mense Ianuario.

1. Circunciſio Domini.
6. Epiphania.

20. SS. Fabiani & Sebastiani.

Februario.

2. Purificatio B. Virginis.
24. Sancti Matthiæ.

Martio.

12. Sancti Pauli Leonensis Episc.
25. Annuntiatio B. Virginis.

Aprili.

25. Sancti Marci Euangelistæ.

Maio.

1. SS. Philippi & Iacobi.

Iunio.

11. Sancti Barnabæ.
24. Natiuitas S. Ioannis Baptistę.
29. SS. Petri & Pauli.

Iulio.

2. Visitatio B. Mariæ Virginis.
22. Sanctæ Magdalenæ.
25. Sancti Iacobi Apostoli.
26. Sanctę Annæ.

Augusto.

10. Sancti Laurentij.

Archives diocésaines de Quimper et Léon

15. Assumptio B. Virginis.
24. S. Bartholomæi.

Septembri.

8. Natiuitas B. Virginis.
14. Exaltatio S. Crucis, to
21. Sancti Matthęi Apost,
29. Sancti Michaëlis.

Octobri.

10. Sancti Pauli Episc. Leon. to
18. S. Lucæ. to
28. SS. Simonis, & Iudæ.

Nouembri.

1. Festum omnium Sanctorum,
2. Commemorat. Defunctorū.
11. Sancti Martini. to
21. Præsentatio B. Virginis. to
25. S. Catharinæ. to
30. S. Andreæ.

Decembri.

8. Conceptio B. Virginis.
21. S. Thomæ Apost.
25. Natiuitas Christi Domini.

26. S. Stephani.
27. S. Ioannis Euangelistæ.
28. SS. Innocentium. to

et outre les dimanches les deux fetes apres paques les deux fetes apres la pentecoste le jour du patron de l'eglise parrochialle ou le patronage de l'eglise parrochialle ou veni alle pour la parroisse ou Frerie soulement

CAPVT XVII.

DE CLERICIS EXTERnis temerè non recipiendis in Parochijs.

1. COELVM non animum deserunt, qui solum tam insita sibi leuitate, quàm lucri spe subinde mutant. Clericos quidem ingenio vagos ac mobiles Episcopi Ecclesiæ priscis temporibus constituendæ principes cùm excommunicatos esse agnoscerent, [a] Conciliorum penè omnium suffragiis nec eos in Parochiis suis morari, nec cum Diœcesanis suis, sub-

[a] Cone. Epaun. c. 6. Agat. sub Symacho c. 12. habit. in palat. Vernis ca. 12. Arelat. 1. can. 22.

Archives diocésaines de Quimper et Léon

ditaque sibi gente rem, negotiaque habere volebant. Nos sanè, quòd exemplo Christi, qui[a] *vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*, humani esse volumus, his legibus dictos Clericos in Diœcesi nostrâ versari patimur, si (b quod antiqua Concilia exigunt) è prouinciis suis sunt egressi cum literis Episcopi sui commendatitiis. Itaque quando è vicinis Diœcesibus aut aliis Sacerdotē aliquem in hanc migrare, vel aliunde appellere acciderit; prohibemus Rectoribus ac eorum Vicariis ne eum ad sacra altaris ministeria admittant, nisi post consensum nostrum, & exhibitam testationem de vita, Sacerdotio & moribus, quæ causam & occasionem sui discessus explicet, Episcopi, Rectoris aut Vicarii eius Ecclesiæ, ex qua discesserit, chirogra-

a 1. Timo. 1.
b Nicen. i. c. 10. Conc. Hisp. 2. c. 2 Laodic. c. 41. Aquisgr. sub Ludou. Pio can. 52. Chalced. Conc. c. 13. & 19. Aquisgr. c. 51. Concil. in Palatio Vernisha. bitum ca. 12. Carth. 3. c. 7. Antioch. 1. c. 3. Aurel. 4. can. 6.

pho signatam. Quòd si peregrinationis causâ illùc fortè, vt fit, aduenerit, ei tùm triduo tantùm sacra facere permissum esto, ad illa eum admittere diutiùs capitale cuique esto. Rectori aut Clerico, per quem ei ad altare accessus erit, sit pro pœnâ contumaciæ debitâ suspensio, Laicis Sacramentorum priuatio.

CAPVT XVIII.

DE FABRICIS, *earumque tutelariis.*

1. PATRIS est prouidere liberis, Pastoris vultū agnoscere pecudis, Regis inuigilare subditis, Oeconomi dati & expēsi rationem repetere ab heri famulis. Qui ergo

Archives diocésaines de Quimper et Léon

diuino concessu, indigni licet, creditiⁿ nobis populi Patres sumus ac Pastores [a], sacrorum Reges, Christi familiæ Prę̃sides [b], iustam à quoquã temeritatis nimiæ notam non feremus, si quod est officij pro Christianę rei vtilitate exequamur in repetendâ ratione administrationis tam diuinorum, quàm temporalium à subiectis. Mandamus ergo singulis Ecclesiarum Præsidibus, vt se nobis aut Vicariis nostris in annuâ lustratione prouinciæ prę̃sentes sistant, eorum, quæ administrauerint, coram nobis rationem instituto Ecclesiæ veteri reddituri: cùm autem detrimento Parochiarum non modico experti simus, earundem Tutelarios, quos hæ piorum liberalitate redditus ac Eleemosynas sunt nactæ, eosdem in impensas inutiles profundere: Prohibemus ne eius-

[a] Ioan. 21.
[b] Gregor. Naz. de sterner. fide.

modi prouinciam capessant, quin antè solito se iuramento apud nos, vel Vicarios nostros obligauerint, fore, vt in eâ se summâ fide diligentiâque gerant. Et quoniam ab Archidiaconis, cùm Diœcesim visitãt, eos institui sæpè vsu venit, hos à nobis aut Vicariis nostris postmodùm confirmari placet: quicquid eos moliri, tentare, aggredi hâc authoritate vacuos contigerit, irritum ac inane esto.

2. Et quanquam in templorum cultu, quæ magnam partem splendida, ditiaque, (Deo laus) vbique reperimus, nihil sit quod magnoperè requiramus; optabile tamen esset vt asseruandæ Eucharistię propria sua stataque super altari medio sedes esset. Scimus antiquo more Ecclesiæ in omnibus ferè Parochiis esse armaria, in omnibus pe-

Archives diocésaines de Quimper et Léon

[a] Paulinus ad Seuer. epigr. 12.

nus sacri horroris plenas, [a] *Queis conditur & queis promitur alma sacri pompa ministerij*. Vidimus etiam nonnullibi & sumus mirati sub crucis titulo in aureâ columbâ super altare priscæ pietatis in seruandâ Eucharistiâ monumentum nobile. [b] Quia tamen non eadem modò est ætas, non consuetudo gentium, optamus, vbique, quantùm res ac commoda ferent Ecclesiæ, Ciboria cum tabernaculis fieri; è quibus, cùm erit opus, salutaris hostia adorandum salutis nostræ pignus depromatur, ad inopum cibum, miserorum subsidium, afflictorum solatium. Interim vtcunque res cadat, iubemus perpeti flammâ coram sanctissimo Sacramẽto ardere lampadem; cereos autem binos in altari Dominicis & Festis diebus ab inchoato sacro ad eius finem, ad

[b] Concil. Tur. 2. ca. 3. Synod. Gen. an. 1582.

pietatis exemplum amorisque erga Deum testimonium, lucere mortalibus.

3. Templorum autem tutelarios binos oportet esse, non plures, eosque annuos; creari verò ac deponi ad initium Ianuarij; accepti & dati rationem ex fide reddere ineunte Aprili. Ad eam rem de vniuersa Parochia tres omnium ordinum suffragio non dubiæ fidei ac virtutis homines legi placet, qui eorum acta relegant, lecta excutiant, excussa pónderent; quid benè, quid malè, quid in detrimentum rei communis ac publicæ, cùm eius bona administrarent, ab iis sit factum, examinent, non fructuosè impensa nullo loco habeant, benè ac in rem Ecclesiæ collocata probent, iudicia ipsi sua manu propriâ obsignent.

4. Ac ne fraudi locus sit aut er-

Archives diocésaines de Quimper et Léon

rori, tutelarii suos habebunt dati & accepti codices, in quos non antè fidelium dona ac munera referant, quàm hęc in Prono de superiore loco Parochus aut eius Vicarius, illorumque authores, quidque & quantum à singulis Deo sit datum, vt eorum beneficentiam posthàc memori mente posteritas colat, populo clarè indicauerit & disertè. Exeunte vero mense id faciet, non hebdomadâ, ne similium rerum commemoratio iterata ac frequens iusta populo concionis tempora præripiat, aut stomachũ eadem sæpè repetita oratio moueat.

5. In summâ, tres de Parochia, qui ad id communi populi voce delecti erunt, istiusmodi rerum, quæ in cœtu populi de superiore loco lectæ fuerint, seriem & catalogum templo egressi manu suâ sub finem sa-

crificij signabunt, vt fidei, pietatis, ac beneficentiæ cuiusque erga Deum, Diuosque cœlites testimonium posteris extet.

7. Similiter, quia & suspecta est multorum fides, nihilque est in hâc morum atque temporum corruptelâ homini facilius, quàm quæ nullius aut paucorum conscientiâ tenentur, hæc sibi infami sacrilegio vendicare; ne cui vlla vnquam silentio nostro aut patientiâ data videatur eius admittendi occasio, gazophylacium templorum tribus claudi clauibus volumus non paucioribus, totidemque, quæ in trium sint potestate ciuium, recludi, indeque absente eorum altero efferri nihil posse.

Archives diocésaines de Quimper et Léon

CAPVT XIX.

DE SEPVLTVRIS.

1. VOD ratio, quod humana diuinaque iura cuique annuunt, huic in hominum vitâ locum nullum esse velle, quid est nisi è terra naturá tollere, Deum ac sapientiam è cœlo detrahere? quod nos tamen facere non molimur, cùm de sepultura, quæ cuique à naturâ est permissa, legem Diœcesi nostræ ponimus. Etsi enim sit hæc diuini iuris,[a] etsi non neganda improbis, nisi cùm imperio iudicum spirantes ac mortui pœnam contumaciæ pendere debent ad terrorem nocentium: Negamus tamen eius eligendæ

a Can 1. de sepult. & 13. q. 2 per totum Rebuff. in pract. Cãcell.

eligendæ, ac vbique quærendæ omnibus ius esse: nam ibi singulos sepeliri est cósentaneum, vbi, cùm viuerent, communem nobiscum haufere spiritum. Itaque vt conquerendi nullus sit locus; Rectoribus eorumque Vicariis inhibemus, ne alterius Parochiæ cadauer in suam inferri sinant sine Parochi aut eorum licentiâ, quorum interierit illam facere[a]. Eius porrò consequendæ spes nulla esto, nisi antè quartâ Canonicâ persolutâ Parocho: Nullo autem modo, iuxta Concilij Turonensis præscriptum, sepulturam sibi vllus etiam de eius facultate in Ecclesiâ effodito minori quàm sex aut quinque pedum spatio ab altari maiore dissitam.

a Panorm. in Canon. Certificari num. 10. de sepulturis. Rebuff. part. 1. praxis tit. de rescript. nu. 17.

2. Quibuscum in vitâ communio nobis nulla fuit, his communicare in sacrarum vsu rerum post

Archives diocésaines de Quimper et Léon

mortem eſt illicitum. Videbunt ergo Parochi iis vltima humanitatis officia ne exhibeant, aut mortuis locum in cœmeterio templo-ue tribuant, quos extrema, ſuaque horâ extra Eccleſiam poſitos, aut excommunicationis nexu adſtrictos reperit; cuiuſmodi monomachos eſſe cùm conſtet, cæteroſque quos ſolemni Canonum ritu, formâque inter Miſſarum ſolemnia execrari ſolita eſt Eccleſia, horum corpora qui in ſingulari certamine ſunt ab irato hoſte oppreſſi, aut quibus adhùc ſpirantibus ingreſſu Eccleſiæ interdictum erat, niſi in mortis articulo abſoluti fuerint, aut pœnitentię ſignum dederint, in ſua aut maiorum monumenta Chriſtiano more inferri non poſſe eſt perſpicuum. Ad id ergo nullis ſe amicorum, aut nobilium precibus,

miniſve flecti Parochi patientur. Præterquàm enim quod eſt id animæ exitiabile, eſt etiam in Parocho fœdum ac turpe; quem proinde ſi vnquam in hâc cauſâ acciderit præponere hominem Deo, puerorum inanes metus officio, quandiu culpæ à nobis veniam non obtinebit, diuinarum vſu rerum excluſus eſto.

3. Nec pueros, quos antè hominum generi inimica mors oppreſſit quàm lux vidit, probare poſſumus eodem quo Chriſtianos ſepeliri cœmeterio: quid enim eorum corpora cum noſtris commune habere debent, quorum animi, cùm mors illos membris ſubduxerit, æternùm à ſeſe inuicem locis ac conditionibus diſiuncti viuent. Qui ergo pueri ex hac vita ſine baptiſmo exceſſerint, hos in loco ſacro

Archives diocésaines de Quimper et Léon

humare est prohibitum. Itaque Parochus certum extra templum ac cœmeterium de Parochianorum consilio locum statuet, in quem ligneis septum cancellis, ne animalibus pateat, istiusmodi miserorum innocens turba à proximis sine Clericorum cantu, cæteroque Ecclesiastico funerum apparatu, efferri queat.

CAPVT XX.

DE IEIVNIIS.

1. a *Trid. sess. 25.*

CVM sancta Tridentina Synod.[a] Episcopos adhortetur, vt pio quocunq; affectu possunt in suis Diœcesibus iuxta Romanæ Ecclesiæ consuetudinem sacros ieiuniis dies obseruari curent,

mosque in nostrâ, temporũ corruptelâ inoleuerit feriâ quintâ in Cœnâ Domini, cũ lauãtur altaria, & pridiè Natalis Domini, cùm foco ad nocturnas vigilias ligna parãtur, edendi bibendique vbique liberè; quod Parochos quoque ac Presbyteros facere passim narrant: Nos eiusdem Concilij, & sacrorum authoritate canonum declaramus, sic Christi Seruatoris mandato feriis Quadragesimalibus ac Sanctorum vigiliis ieiunandum esse fidelibus, vt de earum numero dictæ dies Cœnæ Domini, & vigiliæ Natalis Domini eximi nec possint nec debeant.

Quare Presbyteris omnibus sub pœnâ suspensionis ipso facto incurrendâ vetamus, ne amodò pridie natalis sub noctis initium per speciem benedicendi ligni aut canendi, fidelium domos circumeant, cum iis

Archives diocésaines de Quimper et Léon

bibant, aut quidpiam, quod ab eorum dignitate abhorreat, faciant; sic autẽ feriâ quintâ in Cœnâ Domini quę sui sunt muneris lauandis altaribus obeant, vt intelligant sic sibi ad leuãdam ex labore sitim moderato potu vti fas esse, vt necessitatis metas contra temperantiæ & ieiunij leges non exeant.

CAPVT XXI.

DE SCHOLIS.

1. VÆ de Ludimagistris in pagis ac minoribus oppidis antè statuimus, vt eorum nemini docere fas esset, nisi priùs ratione fidei suæ nobis aut Vicario nostro redditâ, hæc in iis quoque seruari volumus, qui Paulipoli tam

domi suæ priuatim, quàm in Collegio vrbis publicè iuuentutem instruent.

2. E vicinis Diœcesibus Presbyter aut Clericus ad id tam salutare munus non accedet sine literis Episcopi sui commendatitiis, quibus de eius vita, virtute, moribus, fideque planè nobis constet; his destitutus ne doceto: authoritate nostrâ iudicioque antè non probatum ad aperiendum ludum admittere Scholastico ne liceto.

3. Diebus, quos Ecclesia profanos habet, bis Magistri doceant. Manè ad octauam, vesperi ad secundam pomeridianam scholas inchoent: nec has, nec illas vltra duas horas producant.

4. Initium iis erit ab oratiuncula aliqua breui, quam cùm Magister tùm Scholastici flexo ad terram ge-

Archives diocésaines de Quimper et Léon

nu clarè ac distinctè concipient; easdé inuocatâ Virgine pio aliquo hymno in eius honorem composito, vt *Aue Maris stella*, finient.

5. Diem sibi certam ac stabilem in hebdomadâ deligent, in quo semihoræ spatio de re pia aliquâ ac salubri different; Magistri quidem Grammaticę Gallicè, Latinè Philosophus; ac vt illi eleméta fidei, Symboli articulos, pręcepta decalogi auditoribus suis sermone simplici ac ad captum facili tùm exponent, ita iste quid quemque in dictis factisq; deceat, quid amare, quid vitare oporteat.

6. Scholasticis suis authores erunt, vt sacrũ Missæ sacrificium quotidie audiant; peccata sua apud Sacerdotem, minimùm semel mensibus singulis, piè ac, quemadmodùm est necesse, integrè deponant.

FINIS.

Archives diocésaines de Quimper et Léon

Archives diocésaines de Quimper et Léon

Archives départementales de Quimper et Léon